

C V D

A T G G

1 3 7 12

100
100

9. 4. 61

6
w

Theologie

E. VII 441.

SANCTO-
RVM CATHOLI-
CAE ECCLESIAE PATRVM
TAM VETERVM QVAM
RECENTIVM.

DEVOTISSIMAE
MEDITATIONES ET SVAVIS-
simæ sententiæ, quibus ordine saluta-
ris Dominicæ Passionis Mysterium
& Sacramentum, vsus ipse & fru-
ctus amplissimè expli-
catur:

ATQVE HISTORIA DE PASSO
Iesu Christo Evangelica diligenter ab initio usq; ad
finem ex Doctorum scriptis expenditur, ac
singulari obseruatione con-
sideratur.

Summa diligenter coniungitur

MARPURGI
APVD HAEREDES
ANDREAE COLBII, ANNO

M. D. LXIX.

*Nobdybus & clarissimus
viro D. Henrico de Libo Confessoris
vniuersitatis Illustrissimi Domini*

AVTHORES EX QVIBVS HOC
scriptum est contextum sequens
indicat Pagella.

Ignatius,	Anselmus,
Irenaeus,	Jordanus,
Tertulianus,	Albertus Magnus,
Athanasius,	Thomas Aquinas,
Hilarius,	Hugo,
Basilus,	Raimundus,
Epiphanius,	Bonaventura,
Chrysostomus,	Lupoldus,
Augustinus,	Thomas de Kempis,
Leo Papa,	Alexander de Ales,
Gregorius,	Dionysius Carthusia,
Beda,	Reinardus,
Alcuinus,	Guilhelmus Durandus,
Rabanus,	Guilhelmus Parisiensis,
Remigius,	Lyranus,
Bernhardus,	Vincentius,
Theophylactus,	Gerson,
Euthymius,	Ioannes Geiler.

RECTORIUS CIVILIS

ILLVSTRISSIMO
ET VERAE RELIGIONI DEDI-
tissimo Principi ac Domino D. Iulio
Duci Braunsuicensi & Lüneburgen-
si, &c. Suo Domino & Principi cle-
mentissimo, Patri patriæ optimo, &
ministerij Ecclesiastici, nec non stu-
diorum & studiosorum patrono ex-
optatissimo & liberalissimo S.
in Christo Iesu di-
cit, &c.

ILLVSTRIS-
SIME
& clementissime Princeps
Domine benignissime, eter-
nus aeterni Patris & Dei Fi-
lius in horto tremens petit,
si possibile sit calicem calami-
tatis, & iræ Dei à se trans-
ferri pro infirmitate carnis, sed non potuit aliter fie-
ri, quin ille huiusmodi calicem biberet, & gustum a-
marum perciperet, quia pro uetitis & tamen inobe-
dienter sumptis edulijs, & pro primo gustu Adami
& Aevæ hoc pacto obedienter satisfaciendum erat:
Ideo fructus totius dominicæ passionis est plenaria
satisfactio pro nostris peccatis. Hinc fit ut non so-
lum agatur, & accusetur reus coram Ecclesiastico
A 3 Magis

EPISTOLA

Magistratu Christus Dominus noster, sed etiam coram Politico, quoniam et pro peccatis in primam atque simul pro delictis in secundam tabulam per nos homines uarijs modis, commissis plenissime satisfecit: Ipsius etenim mors maledicta attulit nobis benedictionem: Et si tentemur uarijs modis, ecce ex passione Christi offertur firma consolatio.

Si incitet nos Sathan ad superbiam et fastum, imitueamur Christi filij Dei humilitatem lauantis pedes discipulis, et sese in minimi serui formam deijcens propter nostram salutem: Si conetur Sathan nos reddere securos, proponamus ex historia passionis Dominicae exempla irae Dei in filio unico, cui nihil remisit, postquam is semel decreuerat pro peccatis nostris fieri uictima, deinde Iudae Ischariotis, item sinistri Latronis et execratorum Iudaeorum, quoniam mox poena eorundem ibidem satis grauis exprimitur. Quare hoc modo permoti debemus ex alta illa securitate et temeraria peccandi audacia ad profundum timorem Dei nos deijcere. Si etiam diabolus pergat nos propter peccata nostra in uarios dolores, in anxietatem multam, in magnam merorem uel in extremam desperationem deijcere et plane turbare: cogitemus et expendamus grauem Petri lapsum et quomodo intuitu Christi atque recordatione uerborum ipsius sit seruatus Petrus, quomodo se facilem et promptum in ipsis grauisimis corporis et cordis doloribus, imò in ipsa agonia sua existens
in susci

DEDICATORIA

in suscipiendo tamen dextro latrone licet miserè affexus cruci Christus exhibuerit : item quomodo sanguis Christi nos mundet ab omni peccato, &c.

Si nos mors ipsa, morbi & afflictiones uariæ concutiant & aggrauent, ecce Christus mortuus est, ut nos uitam habeamus, deinde in uibicibus eius nos sanati sumus, quoniam propter peccata nostra uulneratus est & attritus est propter delicta nostra, &c.

Est igitur amplissimus usus & suauissimus fructus Dominicæ passionis, de cuius mysterijs cum per multos annos cogitassem, & aliquot conciones (quibus meas qualescunque meditationes de usu & fructu huius sacratiss. filij Dei passionis complexus eram) Lemgouie Vuestphalorum subinde conscripsissem, easq; sæpius annuatim uel correxissem uel auxissem, atque simul in Ecclesia aliquoties recitassem, tandem eas sic collectas & utrunque habitas misi ad doctiores, ut si fortè ipsis probarentur, ipsorum quoque auctoritate per typos alijs communicarentur. Interea dum hæc fieret, accidit diuinitus ut à V. Inclyta Cels. pijsime & laudatissime Princeps, gratiosè et clementer uocarer ad huius Ecclesiæ Gandershemensis & uicinarum Inspectionem, cuius officij initia sunt mihi imposita circa illud tempus, quando passio Domini nostri Iesu Christi esset coram Ecclesia, declaranda. Ideo cum priores meas meditationes in certas, ut dixi, conciones redactas & aliò missas, ad manum non haberem, inspexi obiter paucula quedam patrum ue-

EPISTOLA

terū et recentū scholia, quæ hac hyeme obseruauerā,
 et cū ex huius monasterij uestri Bibliothecæ reliquijs
 Continū uel Cathenā argenteā Thomæ Aquinatis,
 in qua ex ueterū patrū scriptis cōmentaria uel scho-
 lia in quatuor Euāgelistas collegit, cōsequeretur, consu-
 lū istum cathenatū laborē, atq; inde tanquā apex u-
 tiora decerpando prompsi, adhibitis similiter quot-
 quot potuerā mihi cōparare & corradere, Medita-
 tionibus, soliloquijs, Manualib. Breuiloquijs, contem-
 placionib. et alijs deuotissimorū patrū tam postero-
 rum quā antiquorū scriptis, in quib. credebam ali-
 quid de passione Christi utiliter tractatū et examina-
 tum esse: Ex his, inquam, omnib. collegi et conscripsi
 has deuotas obseruationes in Dominicam passionem,
 (quibus similiter puto salutarem fructum dolorum
 & cruciatuum Iesu Christi pro nobis passi, commo-
 de expressum esse) & inde meas conciones, quibus
 usum & energiam passi Christi, V. Cels. subditis hic
 meis auditoribus proposui, per hanc quadragesimam
 formaui: & quanquam non dubitārem hæc patrum
 super passionem Dominicam scholia et collectanea,
 si simul nostris prioribus concionibus, quas Lemgo-
 uie habui de re eadem adhiberentur, plurimum pro-
 desse posse cōcionatoribus ijs quibus incumbit expli-
 care passionem Christi pro Ecclesia, et omnibus deuo-
 tis Christianis, qui sincerè cupiunt recreare suam
 fidem & spem erigere, imprimis utilia & salubria
 fore, tamen non erant eius animi aut sententiæ, ut
publicare

DEDICATORIA.

publicam lucem uiderent hæ patrum rapsodia: Verum hæc cum quidam apud me uiderent, rogarunt me ut multis de causis istas sententiosas patrum meditationes, & deuotas planeq; aureas gemmas ac dicta eorum Doctorum, qui ante nostra tempora uixerant, æderem & V. Illustriss. Cels. dedicarem, ut ita uestra Inclyta Cels. clementissime Princeps ex his inijs mei ministerij cognosceret, quid primò V. Cels. subditis proposuissem, & quam doctrinam profiterer, tertio ut similiter perciperet V. Cels. Illustriss. ex his scholijs, priores Ecclesiæ patres eandem nobiscum doctrinam de filio Dei, & de iustificatione hominis per solam fidem Christi existente, tradidisse. Sed illis restiti ex timore humili & pudore modesto quo impediabar, expensa etiam exilitate & tenuitate scripti huius, ne quid horum tentare uellem. Ideo sanè nunquam hæc collectanea edidissim, multò minus V. Illustriss. Cels. dedicassim, nisi mihi huius rei autor & suasor fuisset R. deuotus & eximius V. C. ditionis prælatus, D. Abbas in Amelsborne, D. Andreas Lugdunensis Anglus, qui uehementer hæc meditationes patrum commendauit, & huic accessit ornatissimus, consultissimus & celebris Iurisperitus D. Franciscus Nutzeltinus LL. Licentiatus doctiss. V. Cels. consiliarius, & Præsulis Hildesiani Cancellarius, qui me quasi ad hanc æditionem & dedicationem sub V. Cels. Illustriss. nomine instituendam compulit, magnam spem faciens nobis V. Clementiam et



EPISTOLA

Illustritatem libros non reputare ex magnitudine
 sed ex pretio & utilitate, seque sibi persuadere dixit
 multis nominibus gratam fore hanc operam, et quasi
 cum gaudio quodam eandem V. Cels. clementer pro
 sua benignissima comitate & pietate suscepturam es-
 se hoc scriptum, ex quo & V. Cels. ut Dominus &
 Princeps, & deinde multi ex subditis in iam semel
 suscepta Euangelij doctrina confirmari possent, a-
 gnoscentes candidè sanctos Ecclesie patres (licet id
 negent Pontificij) in primario religionis nostrae ar-
 ticulo, uel quasi fundamento nostrae confessionis idem
 docere & sentire nobiscum uidelicet, quod ex solo
 unius Christi merito iustificemur, eius unica redem-
 ptione liberemur, quod ipsius oblatione & satisfa-
 ctione plenam & absolutam remissionem peccato-
 rum omnium habeamus, quod ex ipsius morte uitam
 eternam, ex ipsius absoluta obedientia placatum scia-
 mus patrem coelestem, quod ex eius resurrectione ui-
 ctoriam de inferno, diabolis & omnibus nostris ho-
 stibus reportemus, &c. ut ita perspicue constet ca-
 dere hic omne meritum, opus & arbitrium hominis:
 & contra omne illud uni Christo, quicquid nobis ad
 iusticiam & ad salutem conducatur, tribuendum: Haec
 ius sententiae assertores cum ipsos patres habeamus,
 facile cognoscimus quam res nihili sit Missa et omnis
 pontificiorum apparatus, quam frustra et quam ini-
 que illi opem à sanctis quaerant, postquam meritum
 passionis, eiusdemque mysterium & benignissimum
Christi

DEDICATORIA.

Christi affectum nobis in his sententijs ob oculos quasi in pictura aliqua dilucida ponunt Doctores illi qui apud pontificios grati, & in pretio sunt. His & alijs pene uerbis aliquoties & cum repetitione affirmavit tam illustrem uetustatis eruditæ & simul scholasticorum patrum consensum, fore V. Cels. gratum D. Franciscus Mutzeltinus.

Ita præstantissime & laudatissime Princeps Domine clementissime, me quasi inuitum ad hanc dedicationem pertraxit ille V. Cels. Consiliarius, cuius argumenta plurimū apud me ponderis habuere. Nam quid aliud est, quando dicimus nos hominem sola fide iustificari quàm dicendo correlatiuè, nos solius Christi beneficio et merito reputari iustos à patre esse saluari, quia eum ut unicum opitulatorem, ut fidèlem pontificem & mediatorem amplectitur fides, et ipsius merita ac beneficia sibi applicat.

Hoc Spiritus sanctus dogma in diuinis literis traditum & patrum suffragio comprobatum, reijciunt pontificij, nec uolunt nostram perspicuam doctrinam dextrè intelligere, propterea hanc assertionem de sola fide iustificante (licet illa catholica & omnium seculorum patribus usitata fuerit) miris modis lacerant & conuitijs summis conspurcant. Ex illis unus fuit pessimus Monachus Franciscanus Henricus Helmesius (qui hoc in loco, ubi ego nunc V. Illustr. Cels. beneficio & gratia Inspectorè & Pastorem ago, & uixit & mortuus est) aliquoties impudentis-

EPISTOLA

sume ausus est scribere in editis libellis, non esse pe-
stilentiores doctrinam nec peiorem unquam fuisse,
quam ea sit, qua tradimus sola fide Christi iustificari
coram Deo hominem, &c. qui propterea omnium
hereticorum pessimum, sceleratissimum, impurissi-
imum & peruersissimum esse D. Lutherum scriben-
do proclamat, quod hanc doctrinam primus in Ec-
clesiam inuexerit, quasi non idem docuerint cum D.
Luthero & nobiscum S. Ecclesiae Doctores, Cypria-
nus, Origenes, Hilarius, Hieronymus, Augustinus,
Chrysostomus & alij Patres ueteris Ecclesiae, &c.
nos sola fide iustificari ueluti a nobis aliunde in pro-
prio opusculo demonstratum est alibi.

Ex his absurdis pontificiorum opinionibus et as-
sertionibus euenit et accidit ut multi eorum dixerint,
Christum tantum pro originali peccato satisfacisse,
alij admodum frigide aut parum de eo tradiderint,
quod peccata nostra Christum adeo cruciauerint, i-
mo potius plerique eorum scripserint & docuerint,
Christum per passionem suam reliquisse nobis exem-
plum ingrediendi & sequendi ipsius uestigia, ideo
praeterita potissima doctrina & utilitate passionis
Christi, urgent imitationem, & multi sunt in dete-
standis iudeis & ipsorum crudelitate in Christum
commissa. Hinc sunt praedicti Helmesij uerba haec.
Non in Christum credere, beatificat, sed potius eius
exemplum sequi, Qui in Christum credere se dicunt,
debent ita ut ille ambulauit ambulare, et sequi, quia
ideo est

DEDICATORIA.

ideo est uia nostra per exemplum uidelicet, &c.

Hæc sunt salutaria scilicet dogmata & consolations Monachorum & Pontificiorum, quæ sunt plenæ dubitationis & perplexitatis, &c. Interim clamant omnes isti, Patres Patres urgere opera & eorum iusticiam, sed libenter concedimus Pontificijs, quod sæpè S. Patres de meritis & de operum iusticia scribant & differant, sed tunc quando illi boni homines erant positi extra agonem & certamen conscientie, uel quando aliquid plebi in sermonibus proponebant. Sed cum ipsi Doctores tam recentes quam antiqui uersantur in Meditatione & cognitione passionis Dominicæ uel in examine sui ipsius, in consideratione nostræ miseriæ, in speculatione fragilitatis humani generis, uel in certaminibus & ægonia pauoribusq; conscientie suæ, uel quando cor expandunt coram Deo in confessionibus, Soliloquijs, contemplationibus, manualibus aut similibus deuotis oratiunculis siue Meditationibus, ibi, ibi inquam, postpositis omnibus operibus & meritis, reiecto omni omnium creaturarum auxilio, se ad unicum & solum recipiunt Christum eiusq; meritum amplectuntur, tunc inquam desperant de omnibus suis operibus bonis, & innituntur gratiæ Dei, ueluti in hoc scripto uidere licet. Ideo ait Augustinus in lib. suæ confessionis: Væ etiam laudabili uitæ hominum, si tu Domine remota misericordia discutias eam: imò multis in locis sanctus ille pater aperte et perspicue

EPISTOLA

spicue dicit, nostram & omnium sanctorum merita
 nihil esse aliud quam dona Dei: Et extant in hanc
 sententiam multe beatis. Episcopi Augustini precla-
 ra sententia, que in hoc scripto & alibi à me, tunc
 etiam ab alijs scriptoribus Ecclesiasticis nostri seculi
 repetuntur contra Pontificios. Talis est & illa An-
 selmi Anglici Episcopi in soliloquio, Quid mihi in
 Cælo est? Quis est thesaurus meus in illa cœlica cel-
 la? Quæ est hereditas mea in terra uiuentium? Non-
 ne Iesus Christus, Dominus meus, Unica salus mea,
 totum bonum meum, plenum gaudium meum, &c.
 Idem in stimulo Amoris, Nunc benedic anima mea
 Dominum, benedic saluatorem tuum, magnifica no-
 men eius, quod est sanctum, & sanctissimis delitijs
 plenum. O quam bonus & suauis es Domine anima
 querenti te Iesu, redemptor perditorum, saluator re-
 demptorum, spes exulum, laborantium fortitudo, an-
 xiati spiritus latitudo, animæ lachrimosæ & post te
 in sudore currentis dulce solatium & suauis refrige-
 rium, corona triumphantium & unica merces, &
 læticia omnium supernorum ciuium, uberrime fons
 omnium gratiarum, Inclyta proles summi Dei, &c.

Ex his equidem patet quod in mysticis & deuotis
 speculationibus ad unicum Christum tanquam uni-
 cam spem salutis refugiant Patres orantes, uel in pa-
 uoribus et agonia conscientia constituti. Talis quoque
 est confessio cuiusdam ueteris Abbatis Illustris quor-
 dam Saxonie Phrontisterij Corberæ ad Visurgim,
quam

DEDICATORIA.

quam exhibuit superiori autumno Reuerend. gratiosus & splendidus Princeps D. Reinerus à Bucholt, ibidem Abbas hodie liberi istius & exempti Imperialis Coenobij, &c. legendam & describendam Reuer. Clariss. & doctissimis Dominis D. Petro Vlnero Glatbeccensi, similiter Abbati Casaræi et liberi Monasterij Bergensis propè Magdeburgam, D. Doctori Theologo Iacobo Andrea, Præposito Collegij et Cancellario Vniuersitatis in oppido Tubinga Ducatus Wuirtenbergeri, D. Doctori Theo. Martino Kemnatio Superattendenti Ecclesiæ quæ est in V. Cels. amplissima urbe Braunsuiga, nec non D. Doctori I. V. Bartholdo Richio, V. Cels. Consiliario & Decano Collegij Brunswigensis, &c. (quibus tunc V. Cels. Inthyta cum aliquot nobilibus in uisitandis Ecclesiis uestrum Ducatum utebatur) atq; sic sonat illa ipsa confessio, &c.

Eheu me miserum quò iam diuertere possum,
 Ad te mi Domine Iesu, miserere benigne,
 Arctor enim ualidis strictus per crimina uinclis
 Vltima nosco mea peiora prioribus acta,
 Cernor ut innocuus, sum sed sceleratior ullis,
 Sicut Ouis habitu, ferus ut Lupus efferor actu,
 Lingua, mente, manu malè pessima quæq; patrando,
 Poenitet atq; pudet me sic uixisse funeste,
 Da ueniam scelerum, nimium dissolue reatum,
 Ne mihi digna luam sed tua larga capefam :

Sura

EPISTOLA

Sum grauibus miser ac leuibus uitijs maculatus,
 Infidus, impurus, tumidus, cupidus, furibundus,
 Inueterata malis mea uita putrescit in annis,
 Quam tibi deliqui meditando, loquendo, gerendo,
 Post gemitus lachrymasq; iuges pro crimine fusas,
 Ut canis ad ueteres uel sus trahor improbe sordes,
 Aut equus infrenis fractis uel mulus habenis,
 Ad nequiora uolens semper nolensq; reuoluor:
 Sic impostor ago specie sub religiosa,
 Sic malesueta uias repetit mea caeca uetustas,
 In quod sponte ruit, patiens inuita gemiscit,
 Haec non fictè loquor, sed re ueraciter angor.
 Iam desperarem nisi te mitissime scirem,
 Ah miserere mei Deus, ô miserere precanti,
 Spem uel opem sine te nec habenti nec cupienti, &c.

Idem ad imaginem crucis Dominicae,
 Sicut Adam uetiti morsu perijt eheu ligni,
 Sic ouet & mundus Christi cruce morte redemptus.

Ex his uersibus rithmaticis & secundum artem
 quidè indoctis nos probè discimus, quomodo de suis
 operibus desperauerint Patres, & examinatis suis
 interioribus & exterioribus peccatis erratisq; ad
 unicum & solum Christum se receperint, inde expe-
 ctantes opem et misericordiam, postpositis omnibus
 meritorum & aliorum patronorum auxilijs.

Patere autem Illustriss. & Pijsime Princeps, ut
 hoc etiam exemplo cuiusdam Pontificij Doctoris no-
 stri seculi similiter probem. Fuit tuus Illustrissimus
 Cels.

DEDICATORIA.

Cels. notus & probè notus D. Ioannes Gropperus
 (qui propterea quod Papismi absurditates & im-
 primis omnem Antichristi Romani doctrinam de-
 fenderet, & hanc nostram, de qua nunc agimus, sen-
 tentiam in causa iustificationis, impugnaret, non so-
 lum saccum præbendarum, prælaturarum & Digni-
 tatum lautissimarum consecutus est, sed etiam ad ru-
 bei galeri titulum ascendit) is, inquam, Coloniae an-
 no 1550 ad suum Principem Adolsum Electorem
 Coloniensem edidit Institutionem Catholice doctri-
 nae, adiuncta Isagogica Instructione ad pleniorum co-
 gnitionem uniuersae doctrinae Catholicae (Catholice
 debebam dicere) & in eo libro postquam suasset
 ex omnibus Ecclesijs & Scholis extirpandos Luthe-
 ranos hæreticos, & similiter per multa folia in pro-
 batione iusticiae operum meritorumq; quasi illa ali-
 quid facerent in causa iustificationis hominis coram
 Deo se miserè torsisset, ecce tandem hanc in fine libri
 ad imaginem crucifixi Christi subiicit confessionem.

Heu mihi? nam totam maculam crimine uitam,
 Quid faciam miser aut fugiam quò dulcis Iesu,
 Tu Dominus meus & Deus es Spes una salutis:
 Ad te igitur fugio supplex, miserere precantis,
 Iussisti petere, & pulsare, & querere, quare
 Ostia pulsanti pietatis Christe reclude,
 Ostia quæ proprio pandisti sanguine fusso.
 Quo pretio mundi soluisti crimina magno.

TU ME

EPISTOLA

Tu me fecisti, lapsum tu restituisti,
 Sum tuus en toties, humilem ne despice seruum,
 Pastor ouem miserè errantem pie quaeso require,
 Impositamq; humeris ad ouilia sancta reporta,
 Ut rapiat Leo trux inhiat: uerùm obijce dextram
 Assere meq; tibi, noxas bonitate remittens:
 Non morti addicti sed uita qui potiuntur,
 Laude tuum celebrant nomen per secula cuncta.
 Respice me, ut respexisti pie Christe latronem,
 Inter & electos ego sum tandem ultimus, Amen.

Iam iudicet V. Aequissima Cels. pro sua heroica
 sapientia & singulari pietate, iudicent uobiscum &
 omnes cordati, quid nam uelint aut etiam possint isti
 miseri Pontificij, quos ipsos propria conscientia in
 suo malo dogmate erroris conuincit, quos ipsorum
 proprium cor super hac re condemnat: quia ut hic
 unus Gropperus pauore conscientiae quasi ad tribu-
 nal Christi citatus, tradit eandem nobiscum coram
 Deo doctrinam, licet aliter extra periculum conscien-
 tia positus nec coram Deo loquens, sed potius incal-
 scens ira, quando stomachatur in Lutheranos scri-
 bat, ita omnes faciunt Papistæ, ideo etiam plerique
 eorum ad extremam desperationem redacti miserè
 hinc discesserunt. Interim nobis satis erit habere
 & tam splendidum S. Patrum testimonium, habere
 & confessiones aduersariorum, ex quibus abundè co-
 gnoscatur, & ipsos & nos omnes in uno Christo ha-
 bere

DEDICATORIA.

bere uitam remissionem peccatorum omnium, iusticiam, reconciliationem apud patrem, & omnia caelestia bona: Si igitur illa habemus in Christo & per solum & unicum Christum, quid deinceps querimus in negotio iustificationis? quid igitur isti bis miseri homines subsidij, quo perstent coram Deo, in inutilibus operibus (quae per se utcumque pulchra uideantur, immunda sunt teste Esaia) querunt, quasi non omnia Christus praestiterit? quasi eius meritum non sufficiens sit nec satisfactio perfecta? Verum longe aliter loquuntur patres, ut hic & alibi uidere licet. Valeant igitur pontificij, qui ita carentes fundamento corruunt cum sua doctrina.

Sic quoque grauius adhuc ex ijs qui uolunt nostrae religionis esse et uideri impingunt, inserentes & immiscentes negotio Iustificationis & causae salutis (quae Christi solius est) bona opera, quoniam & hi ex his patrum testimonijs conuincuntur. Nam hoc manet uerum, quod Augustinus dicit super Ioannem tractatu 3. Iesus Christus totus est medicus uulnerum nostrorum crucifixus: ipse est totus medicus noster ipse plane. Item, Ibi uulnera tua curauit ubi sua pertulit, ibi a morte sempiterna sanauit, ubi temporaliter mori dignatus est. Et mox, Accepimus gratiam pro gratia. Quam gratiam accepimus? fidem: In fide ambulantes in gratiam ambulamus. Unde hoc meruimus? Quibus nostris praecedentibus meritis? Respondeat quisque in conscientiam suam, quae rat latebras

V. Maior
tuxar

B cogitatio

EPISTOLA

cogitationum suarum. Non attendat quid sit, sed quid fuerit ut esset aliquid, &c. Sed nec hoc quenquam moueat, quod Augustinus dicat de precedentibus meritis, quia & in 50. homilijs, homilia 14. & in libro de gratia & libero arbitrio cap. 7. explicans dictum Apostoli, Reposita est mihi corona iusticie, quam mihi reddet, &c. tum alibi expressè ita dicit cum repetitione aliqua, & similiter in predicto tractatu super Ioannem, cum Deus coronat merita tua, nihil coronat nisi dona tua. Ideo & illi qui aliquid adhuc arbitrio humano liberoq; uel operibus in causa iustificationis tribuunt, nondum rectè scrutati sunt conscientiam suam, nec rimas cogitationum suarum considerarunt: imò non expenderunt cum Augustino Apostoli dictum, nos non esse idoneos ex nobis, et ex nobis aliquid boni cogitare, &c.

Si enim uni Christo eiusq; soli merito, quæ nostram salutem & iusticiam concernunt, attribuuntur à Doctoribus, ut hic est abundè demonstratum, necesse est ex illa propositione, Quid in iustificatione hominis coram Deo ualeat, excludi opera, excludi & omne humanum auxilium, promptitudinem & aptitudinem quasi ex homine profectam. Si quoq; omnes patres docent contra tales, nos esse in Christi passione iustos, & ex Christi filij Dei & hominis passione & merito nos esse iustificatos, habere remissionem peccatorum, uitam & salutem, profectò illi quoque errant, qui licet sese ad nostram doctrinam uelint referre,

DEDICATORIA.

referre, docent essentiali Dei iusticia, non autem temporali Christi morte iustificatos & saluatos nos esse, aut negant nos ex eius precioso merito, & per sanguinis sanctissimi nostri saluatoris effusionem, habere remissionem peccatorum. Quam impiam & blasphemam sententiam excludunt omnium patrum sententiosæ Meditationes, ut in hoc libro uidere licet: Deinde expressè dicit Augustinus in libro de spiritu & litera, atque alibi aliquoties, Nos ita iusticia Dei, non qua ipse iustus est, iustos esse, ueluti dicimur fide Christi iustificari: Iam uerò fides Christi non illa esse dicitur, qua ipse credit, sic iusticia Dei non dicitur illa apud Paulum, qua ipse iustus est: iusticia Dei, qua iusti munere eius efficimur, & Domini salus dicitur, qua nos saluos fecit, & fides Christi, qua nos fideles & credentes in Christum facit. Idem repetit Beda super 2. epistol. ad Corinth. Qui iustificat impium non illa, qua ipse iustus est, æterna sua & incommutabili iusticia, sed hæc est iustitia, qua nos Dei munere iusti sumus. Quemadmodum dicitur, Domini est salus, non qua saluus est ipse Dominus, sed qua hi salui fiunt, quos ipse saluos fecit, sic cum legitur, Dei iusticia, non est illa intelligenda, qua Deus iustus est, sed qua iusti homines, quos gratia sua iustificat: inde enim salui unde iusti, &c. Simili impudentia isti impingunt grauissimè, qui docent Christum hominem tantum pro peccatis nostris satisfecisse. Vtraq; pars diuidit Christum, ista hoc Deo tribuit soli, quod hæc

Vsi an
dri ha
vris.

EPISTOLA

Soli homini. Sed scriptura dicit filium Dei Christum passum in carne & in corpore, &c. Extant etiam in nostris rapsodijs perspicuae sententiae, quae opinionem hanc refutent, quibus possunt addi uerba Ambrosij, consors utriusque naturae, id est, humanae & diuinae, in natura hominis subiit passionem ut indiscrete & Dominus maiestatis dicatur esse, qui passus est, & filius hominis, sicut scriptum est, descendit de caelo: Item Leonis Papae, Natura immobilis unica est in persona passibili, ut quod nostris remedijs congruebat, unus idemque Mediator Dei & hominum, homo Iesus Christus & mori possit ex uno & non mori ex altero. Ideo inquit Theodoretus in dialogis, Nomen Intercessoris & diuinitatem & humanitatem significare, meritoque dici intercessorem unione utriusque naturae. Talia multa extant patrum dicta in eandem sententiam.

Haec uolui modestè coram V. Illustriss. Cels. Excellentissime Princeps monere lectores, & persuadere huiusmodi admoniciunculam, quae sub V. Cels. patrocinio fit, non fore irritam propter autoritatem & reuerentiam illustriss. uestri nominis: Spero etiam cordatis hominibus me mediocriter satisfacisse: infirmioribus autem & illis qui sunt dociles & sanabiles, aliquid roboris addidisse hoc meo scripto, ut in timore Dei perlegentes has rapsodias Doctorum, leto animo cognoscant ueritatem, & in solida nostra etiam uera doctrina confirmentur: deinde ut pij lectores ipsum

res ipsum

DEDICATORIA.

res ipsam usum & energiam Dominicæ passionis re-
cte imbibant, & mysteria tantæ rei percipiant u-
tiliter.

Quicquid illud est, propter priores & antea reci-
tatas causas, V. Cels. illustriss. & Clementiss. Prin-
ceps totum offero, & reuerenter inscribo, quia tua
clementiss. pietas, quæ piè incepit reformare Ecclesias
uestro Principatui subditas, & piè etiam sobrieq; in
timore Domini uiuit, declarat se hoc seculo uerum
Dauidem, Hiskiam, Iostam, imò Constantinum Ma-
gnum, Iouinianū, Valentinianum I. Theodosium Ma-
gnum, & alios pios Heroes refert, atq; hoc unicum
habet studium, ut pura religio uestris subditis inculce-
tur, & in uestro amplissimo Ducatu floreat progres-
sumq; habeat: ideò ipsa V. Cels. diligenter legit &
tractat sacra, de ijs libenter differit, et clementer con-
fert cum alijs. Hæc est ipsa pietas, tali Heroe digna.
Nullum profectò opus magis pium unquam V. Cels.
prestare potuit Deo, & eius filio IESV CHRISTO
quàm quod Reformationem salutarem Ecclesijs non
solum præficiat, sed etiam uiros aliquot doctos & pi-
os ex diuersis locis uocatos (inter quos ego minimus
sum) inspectores attribuat, & subditis per diuersa
loca constituat, ut omnia piè salubriter & ordine fie-
ri possent, ubiq; in templis ad Ecclesiæ edificatio-
nem: ideo meritò nomē pij Principis et nutricij cœtus
Christiani non solum in terris apud omnes bonos, sed
etiam corā deo & angelis tribuitur V. Cels. optimæ,
B 3 laudatiss.

EPISTOL. DEDICAT.

laudatissime Dux Domine clementissime.

Vt autē V. benigniss. & illustriss. Cels. in tali & tam sancto proposito obfignetur per Spiritum sanctū, oro cum omnibus pijs filium Dei sedentem ad dexterā patris & dantem dona hominibus ardentibus uotis, ut V. Cels. in suam protectionem semel susceptam suo merito semper saluet, & in uera doctrina sui Euangeliij perseueranter conseruet Amen, Amen. Ex V. Cels. Ganderhemio, eo ipso die, quando Iesus ingrederetur urbem, ut se declararet Messiam, et mox post quadriduum sese propter nos passioni sacratissime uolens subijceret: Anno à nato Christo Salvatore

1569.

V. Cels. illustriss.

reuerenter colens

Hermannus Hamelmannus
Licentiatus Theologus.

IN PAS

IN PASSIO-
NEM DOMINI NO-
STRI IESV CHRISTI, ME-
ditationes Patrum, &c.

IRENEVS IN LIBRO III.



IESVS CHRISTVS
cum esset, passus est pro no-
bis, qui discubuit & resurre-
xit, qui descendit & ascendit
filius Dei, filius hominis factus.

EPIPHANIVS LIB. II.

Christus accepit nostrum passibile corpus, cum
sapientia esset (DEI) ut in ipso ad patiendum con-
sentiret, & nostras passiones susciperet. Quomodo
enim qui dixit, Ego sum uita, mori potuit? Passionis
exors permanet quidem Deus, compatitur autem
carni, ut passio ad Deitatem referatur, cum Deitas
non patiatur, ut sit nobis in Deo ipso salus, in carne
uero passio.

BONAVENTVRA EX GREGO-
rij Nazianzeni scriptis, in
soliloquio.

O mira & inaudita permixtio, qui creator est,

B 4 fit

2 IN PASSIONE CHRISTI,

fit creatura, qui immensus est, capitur, qui diues est in omnes, pauper efficitur: suscepit imaginem crucis mee, ut imaginem, quam fecerat repararet, ut carnem mortalem immortalitate donaret.

BERNHARDVS.

AB. Triplici morbo laborat genus humanum, principio, medio & fine, id est, natiuitate, uita & morte. Natiuitas immunda, uita peruersa, mors periculosa. Venit Christus & contra triplicem hunc morbum attulit triplex remedium. Natus est, uixit, mortuus est: atque eius natiuitas purgauit nostram, mors illius destruxit nostram, uita illius restituit & instruxit nostram, &c.

DE HIS QVAE ACCIDERVNT in horto, sequuntur patrum meditationes.

Aquinas ex Chrysostomo: Surgens Christus & tendens ad hortum, prius post coenam hymnum dixit, quod audiant illi porci, qui ad ebrietatem manducantes surgunt absq; gratiarum actione. Idem ex Hieronymo: Iuxta exemplum Saluatoris, qui pane Christi & calice saturatus & inebriatus fuerit, potest laudare DEVM, & conscendere montem oliueti(mystici) ubi laborum refertio, doloris solatium, & uiri luminis noticia est.

Thomas Aquinas ex Theop. Ostendit Christus
quans

quam amplectabile sit sibi mori pro nobis, qui cum tradendus erat, tamen Deum laudauit.

Idem ex Chrysostomo. De nocte uadit, & flumen (Cedron) transit, & properans ad locum proditori cognitum, auferens his qui insidiantur laborem, & ostendens discipulis, quoniam uolens ad mortem uenit.

Idem ex Beda. Pulchrè sui mysterijs corporis imbutos in montem oliuarum discipulos educit, ut omnes in morte sua baptizatos, sancti Spiritus charismate confirmandos esse designet. Et eductio in montem oliuarum, typicè designat discipulos Christus, per acceptionem sacramentorum ad altiora uirtutum dona ipsius ope descendere debere.

Hugo. Ex monte oliuarum per ascensionem gloria ipsius consumanda erat, ideo eandem gloriam oratione in eo monte præuenit & agonem suum inchoauit. Vel ideo ad montem oliuarum est egressus, quia ex magna & sola misericordia, quam oliua significat, passioni & morti se subiecit.

Thomas ex Origine. Aptè fuit mons misericordie electus, ubi prænunciaturus erat scandalum discipulorum, iam tamen paratus, ut non repelleret discipulos discedentes, sed ut reciperet reuertentes.

Idem ex Hiero. In eo monte IESVS tenetur, unde ad celos ascendit, ut & nos sciamus, quod inde ascendamus ad cœlos, unde uigilamus, oramus, & ligamus, non repugnantes in terra.

B § Idem

4 IN PASSIONE CHRISTI,

Idem ex Theophil. Exiit in montem, ut ad eum solitarium existentem exirent, & ciperent absque tumultu. Si enim accessissent in urbe ad eum, ubi in die manebat, forte fuisset multitudo populi turbata: Ideo uolens se eis ita obiecit.

Idem ex Chrysof. Prophetam de percutiendō pastore inducit, ut suadeat attendendum esse scripturæ, quomodo secundum DEI consiliis crucifigetur: interim non permittit discipulos in tristibus manere, sed & læta prænunciat dicens se resurrecturum, & eos præcessurum in Galilæa, ubi ipsos forte uoluit delitescere, ut à timore Iudæorum aliquantum deliberarentur.

Idem ex Origine. Prædicat hoc eis, ut qui ad modicum disperguntur scandalum passi, post tamen congregentur à resurgente Christo, & eos præcedente in Galilæam.

Idem ex Hiero. Ex hac promissione uera, in ipsius promittitur illis resurrectio, ut spes non extinguatur. Petrus interim promittit constantiam, sed ecce uis sine pennis uolare nitens in altum: sed corpus aggrauat animam, ut timore humanæ mortis, timor Domini superetur.

Idem ex Hilario. Petrus affectu charitatis Christi efferebatur, sed imbecillitatem carnis suæ & fidem uerborum Domini non contuebatur.

Idem ex Chrysofostomo. Quid ais o Petre? Propheta dixit, dispergentur oves, & Christus
stus

Stus hoc confirmavit, & tu dicis, nequaquam?

Euthimius super Matthæum. O Petre si hoc adiecisses, modo te habeam adiutorem. Quando autem de claudi sanitate dicebas palam & (Actor. 3.) non uestra uirtute effectum esse confessus es. Ideò hinc magnum discimus documentum, quòd neque humana promptitudo quicquam efficiat, absq; diuino auxilio.

Thomas ex Remigio. Quod ille dicit prauendo, iste denegat amando, ubi moraliter instrui mur, ut quantum confidimus de ardore fidei, tantum timeamus de carnis fragilitate.

Idem ex Origine. Cum IESVS mori (ut sibi presumpsit Petrus) pro omnibus moriente, hominum non erat, quoniam omnes fuerant, & sunt in peccatis, & omnes opus habebant, ut pro eis alius moreretur, non ipsi pro alijs.

Idem ex Rabano. Vana fuit Petri presumptio sine protectione diuina. Hinc ergo magnum discimus dogma, quòd non sufficit desiderium hominis, nisi diuino aliquis potiatur auxilio.

Idem ex Beda. Quando uenit IESVS in prædium dictum Getsami (quod pinguedinem significat) docemur inde, quando in monte orauit, ut nos sublimia inquiramus, sed orans in ualle pinguedinis, inuariat nobis humilitatem semper in orationibus & internæ mentis pinguedinem hoc est dilectionem esse seruandam, quia ille per uallem humilitatem & pingues

6 IN PASSIONE CHRISTI,

pinguedinem charitatis pro nobis mortem subiit.

Idem ex Remigio. Cum Dominus in monte orauit, docuit nos in oratione pro cœlestibus petere: cum uero in uilla orauit, instruxit nos ut in oratione humilitatem seruaremus.

Idem ex Chrysost. Orauit solus in horto, hoc modo erudiens suos, ut in orationibus quietem constituerent, & solitudinem quærerent.

Theophylactus super Euangel. Ab horto salus nostra originem sumpsit, paradysum ideo hortus refert. Decebat igitur, ut sic qui olim cecideramus in horto paradysi, nunc rursus uideremus in horto salutarem passionem sumpsisse initium, ut unde perditio nostra erat orta, inde salus exordium sumeret. In hoc horto lignum uitæ Christus erat, Iudas serpens: & quod Iudas cum cohorte cecidit retrorsum, lapsum significat & ruinam serpentis, hoc est diaboli cum socijs suis.

Thomas ex Origine. Assumpsit tres primarios discipulos, ut uiderent illum cadentem in faciem, quod discerent non magna sed humilia de se sapere.

Euthymius in Matth. Solus abiit ad orationem, docens, oportere illum qui feruenter orat, solitarium orare: & declarauit moerorem suum, quia ostendere uoluit, quod sicut Deus erat, omnino etiam homo sit. Proprium enim carnis est, inuesticiam pati propter mortem maximè uiolentam, hancq; timere. Solis autem tribus hoc monstratur, ut qui soli fuerant specta-

pecta-

Spectatores gloriae ipsius in transfiguratione, nunc quoque, ut qui magis inter omnes poterant, non turbari aut decidere, essent consortes miseriae.

Aquinas ex Hiero. Christus solus orat pro omnibus, sicut & solus patitur pro omnibus. Idem ex Beda. Idem refert addens haec, uoluit ita significare tantum orationem suam à nostra distare, quantum & passio eius à nostra distat.

Irenaeus libro 3. Filius DEI filius hominis factus, luctatus est & uicit. Erat enim homo pro fratribus certans, & per obedientiam, inobedientiam persoluens: adligauit enim fortem et soluit infirmos, & salutem donauit psalmati suo, destruens peccatum: & mox, si enim homo non uicisset inimicum hominis, non iuste uictus esset inimicus. Rursus autem, nisi DEVS donasset salutem, non firmiter haberemus eam, & nisi homo coniunctus fuisset DEO nostro, non potuisset particeps fieri incorruptibilitatis.

Ambrosius libro 2. de Fide. Quid mihi prodesset, si Christus quasi Deus exerta potestate suam diuinitatem tantummodo inuiolabilem demonstrasset? Aut cur susciperet carnem, nisi ut tentari se, naturae atque infirmitatis meae conditione pateretur? Tentari debuit, compati mihi debuit, ut scirem quemadmodum tentatus uincerem, compassus euaderem.

Cyrillus in lib. de Trinitate. Is in quo uiuimus, mouemur & sumus, nobiscum fuisse dicitur in morte car-

8 IN PASSIONE CHRISTI,

te carnis. Et mox: Maximam quidem gratiam ha-
beat ipse, quia necessarium hominum lapsibus erat
pati unigenitum. Si nos non peccassemus, neq; factus
esset nobis similis, neq; sustinisset crucem, &c. Idem
ad Reginas. Sicut primus Adam dimisit nos in corru-
ptione, ita Christus reuexit ad uitam. Non sicut com-
munis homo, mortuus pro nobis, ut ne & in ipso
maneamus mortui, sed ut Deus in carne, & in ista
passus humano modo, ut diuino modo resuscitandi
templum suum, nos simul resurgamus. Et iterum. Er-
rubescit nullo modo propriae carnis rationes, qui uo-
luntariam exinanitionem propter nos sustinuit. O-
portet igitur illum & in diuinitatis dignitatibus ui-
deri perspicuum, & à nostra paruitate non pror-
sus alienum.

Origenes in homil. diuers. Christi humilitas
nostra & sublimitas, illius crux nostra est uictoria,
illius patibulum noster triumphus. Idem super Iob.
Quam passionem Domini nostri IESV Christi ad
terras ueniens, in humano sustinuit corpore, pro o-
mnium salute, ut per passionem mortem interficeret:
per resurrectionem uero, suam recidiuam uitam cura-
tis exhiberet.

Lactantius libro 4. Qui humilis aduenit ut hu-
milibus & infimis opem ferret, & omnibus spem
salutis ostenderet, ideo eo genere afficiendus fuit quo
humiles & infirmi solent.

Ambrosius super Lucam. Doles Domine
IESV

IESV non tua uulnera sed mea, non tuam mortem, sed meam infirmitatem. Idem in lib. de recta fide. Ut homo habuit iusticiam, quam in eo suscepit affectu, mihi compatitur, mihi iustus est, mihi dolet. Ergo pro me & in me ipse doluit, qui pro se nihil habuit quod doleret. Doles igitur Domine IESV uulnera mea non tua, quia tu non pro te, sed pro me doles. Idem in libro de fide. Mea est tristitia quam Christus meo suscepit affectu. Mihi compatitur, mihi tristis est, mihi dolet. Quid mirum, si pro omnibus doluit, qui pro uno fleuit? Quid mirum si moriturus pro omnibus tædeat, qui Lazarum resuscitaturus lacrymat.

Bernhardus in Epiphania. Ecce quasi saccum plenum misericordia sua DEVS pater misit filium in terram, saccum inquam in passione concidendum, ut effundatur, quod in eo latet, precium nostrum.

Idem in cœna Domini. Christus se in uniuersali hominum miseria pressius & profundius immergit, ne subtilis ille diaboli oculus magnum hoc pietatis deprehenderet sacramentum. Idem super cantica. Tu (IESV) dolores meos portas & pro me doles, tu prius transis per angustum passionis foramen, ut latum præbeas sequentibus ingressum.

Augustinus in meditationibus. Factus est adiutor meus, DEVS meus, tuus dilectus filius meam participans humanitatem, ut curaret infirmitatem, qua tenus, unde emerferat causa offensionis, inde tibi immolaret

molaret sacrificium laudis, meq; per hoc redderet tuæ pietati placabilem, quò sedens ad dexteram tuam, semper se meæ substantiæ ostenderet consortem: Ecce spes mea, ecce tota fiducia mea. Si me, pro mea uè dignum est, despicias iniquitate, respice me saltem misericors pro dilectæ sobolis charitate, attende in filio, quo propitius seruo, uide carnis sacramentum & remitte carnis reatum. Idem alibi. O Iesu tu infirmatus es, ut sanares nos infirmos, et omnium medicus esses.

Anselmus in stimulo amoris. Dato Domine Iesu charitatis & patientiæ salutari mandato, & disposito fratribus regno patris tui, ad locum proditori tuo notum cum illis diuertisti, omnia quæ uentura erant super te cognoscendo. Ibi animæ tuæ tristitiam, quam pro imminente passione, sponte suscepisti, sicut & cætera passus es, in auribus fratrum profiteri non erubuisti, dicens, Tristis est anima mea usque ad mortem. Tandem procidisti in terram super faciem tuam orans ardentem in agonia, Abba pater, &c. Et angustias quidem cordis tui dulcissimi indicabat sudor ille sanguineus, qui orationis tempore de sanctissima carne guttatim decurrebat in terram. Dominator Domine Iesu, unde animæ tuæ tam uehemens tristitia, unde tanti sudoris anxietas & tam anxiosa supplicatio? Nonne uoluntarium omnino sacrificium patri tuo obtulisti & nihil inuitus pertulisti? Vtiq; Domine. Arbitramur autem Domine, quod & hoc
ad con

ad consolationem infirmorum membrorum tuorum
Iusceperis, ne fortè desperet quis, si infirma remurmu-
ret caro. Nimirum ut ex maiores erga te stimulos
amoris haberemus, & gratitudinis, naturalem car-
nis infirmitatem eiusmodi inditijs te expressisti, qui-
bus doceremur quòd uerè languores nostros porta-
sti, ut propheta dicit, et non absq; doloris sensu pas-
sionum sentes percurristi. Item. Quàm promptus
fuerit spiritus ad passionē, euidenter ostendisti, quo-
niam uenientibus una cum proditore uiris sanguinum,
& quærentibus animam tuam cum laternis, & fa-
cibus & armis per noctem ultrò occurristi, & si-
gno, quod à duce flagitiij acceperant, te ipsum manife-
stasti. Nam accidentem ad osculum oris tui, cruenta
bestiam auersatus non es, sed os, in quo dolus non est
inuentus, ori, quod abundauit malicia, dulciter appli-
cuiisti. Innocens agne Dei, quid tibi & lupo isti? Quæ
conuentio Christi & Belial? Sed & hoc benignita-
tis tuæ erat Domine, ut omnia illi exhiberes, quæ par-
ui cordis pertinaciam permollire potuissent. Nam
& uerbis ueræ amicitie ipsum admonuisti, & hor-
rore sceleris sui, cor illius impium emollire uoluisti
dicens: O Iuda osculo filium hominis prodis? Et mox
Quid quæso Domine IESV, pro mea salute facere
debuiisti, quod non fecisti? Ab uno pedis usque ad
summum uerticis totum te in aquis demersisti passio-
num, ut me totum de illis extraheres, quia intraue-
runt aquæ usq; in animam meam. Nam & animam
C tuam

tuam in mortem perdidisti, ut meam perditam mihi redderes. Pro tua pretiosa anima ita contribulata et anxiosa, quid ab homine dignè rependi possit nō inuenio. Nam si coelum & terram, & omnem ornatum eorum pro ea possem rependere, certè nec sic unquam usq; ad mensuræ debitum pertingerem.

Thomas ex Beda. Alibi leguntur, angeli ministrasse ei (Matthæi 4.) quomodo nunc confortatur ab Angelo? Creator enim non indiget creaturæ suæ subsidio & præsidio, sed homo factus, sicut propter nos est tristis, ita propter nos confortatur.

Idem ex Augustino. Orans cum sudore sanguineo, Dominus significabat de corpore suo toto, quod est Ecclesia, manatura martyria.

Idem ex Chrysostomo & Beda. Quasi Deus in corpore constitutus fragilitatem carnis exponit, ut eorum qui sacramentum incarnationis in Christo ob iurgant, excluderetur impietas.

Rabanus propterea putat, adeò tristem fuisse animam Christi, & quidem ad mortem, quòd nouerat sanguinem suum tam inutiliter effundendum, ut uix nunc unum latronem acquireret, & unum ex Apostolis perderet, &c.

Lupoldus ait. Quod Christus infirmatus, tentatus, anxiosus & confortatus est ad nostram instructionem & informationem factum est, quia ex illo Christi exemplo nos quoque iam paulò confidentius sperare possumus, quod nobis & orantibus & in tribulatione

bulatione constitutis sancti angeli Dei, fideliter ad-
stant, &c.

Idem. Adam in horto sua licentia abusus, nos
captiuos tradidit Sathanae omnibusq; malis, ideo ad-
modum conueniens erat, ut Christus sua captiuitate
nos in horto, à captiuitate diabolica liberaret.

Euthymius. Cum dicit surgite eamus hinc, etiam
hoc ostendit, quòd uoluntarie pateretur, præsciens e-
nim eos qui cum proditore uenirent, non fugit, sed
potius in occursum eorum exire festinat.

Lupoldus: Sicut tunc serpente diabolus usus est
in horto ad perdendum hominem, sic nunc traditore
utitur, ad perdendum Christum secundum Adamum
& coelestem. Sed sicut præ omnibus animantibus ma-
ledicitur, tunc serpens ut super uentrem humi repat,
ita & Iudas fit maledictum, dum se ipsum suspendit,
& medius in uentre crepat.

Hugo. Ut Adam aspexit, pomum cum leticia
delectatus eodem, & ut ille se ad inspiciendum et ac-
cipiendum pomum erexit, imò ad illud manum exten-
dit superbiens, ut dijs adæquaretur, tantò magis de-
fixa ad terram facie & pronolatus plenus dolorum
& anxietatis orauit Christus, uultum tristem ad ter-
ram deprimens, manibus uel submisse plicatis aut fer-
uenter in agonia ad coelum extensis in uera humilitate
se se subiiciens patri.

Vincentius. Filij huius seculi sunt prudentiores
filijs lucis in sua generatione, dormiuit illi qui cum

14 IN PASSIONE CHRISTI,

Christo uigilare debebant, qui ampla promiserant, interim non dormit Iudas, qui est in exequendo negotio suo sedulus: uigilantes & acres sunt Iudaei & eorum famuli, qui probe armati dormientibus Apostolis aduolant. Ideo nostra est hic fragilitas deploranda. Quanto esset tristior Christus, tanto illi erant socordiores: quia nullus unquam legitur sanguinem sudasse, praeter unum Christum, ideo in nullo fuit maior angustia, sed hoc non potuerunt cognoscere somnolenti. Interim inde nobis maior Christi erga nos charitas prorumpit, utpote, ut quod uelocius succurreretur perditio homini, sanguinem properaret effundere meritorium, antequam uel persecutor, uel hostis accederet: Sic quoque in hac agonia ultrò assumpserrat tristitiam & dolorem ex propria uoluntate, ut sic peccatis per nos corde malo & impuris cogitationibus perpetrans, sufficiens remedium adhiberet.

Cyrillus, cum illos interrogaret quem quaererent, non hoc fecit quod haec ignoraret, sed ut nos argueret.

Chrysostomus citante Aquino. Multotiens uoluerunt alias IESVM comprehendere, sed non ualuerunt, unde manifestum est, quod nunc sponte sese eis offerret dicens: Ego sum.

Augustinus, dicens: Ego sum, statim prosternuntur hostes, En quanta erit obsecro, tunc maiestas, tunc potentia Christi uenientis ad iudicium, qui tam
potens

potens est in prosternendis hostibus cum iudicari uellet.

Euthymius super Matthæum. Vbi uerbi potentiam, quod uerè Ego sum, protulit, audire, abierunt retrorsum. Non potuerunt sustinere tantum Ego sum, ideò profectò cum faces haberent & lampades, excecati sunt cum proditore.

Aquinas ex Augustino. Vbi nunc militum cohors? ubi terror? ubi munimen armorum? Vna uox turbis odijs ferocem, armisq; terribilem sine ullo telo, percussit, repulit, strauit. Deus enim latebat in carne, & sempiternus dies ita membris occultabatur humanis, ut cum laternis & facibus quæreretur occidendus ab ipsis tenebris. Et mox audierant primo Ego sum, sed non comprehenderant, quia hoc noluit, qui potuit, quod uoluit. Verùm, si nunquam se ab eis permitteret apprehendi, non quidem illi facerent, propter quod uenerant ipsi, nec ipse Christus faceret, propter quod similiter uenerat: Tantum tenere uolentibus, & non ualentibus ostendit potestatem suam.

Idem ex Gregorio. Quid hoc est, quod electi in faciem, & reprobi retrorsum cadant, nisi quod omnis qui post se cadit, ibi cadit, ubi non uidet. Qui uerò ante se ceciderit, ibi cecidit, ubi uidet. Iniqui ergo, qui in inuisibilibus cadunt, post se cadere dicuntur, quia ibi corruunt, ubi quod tunc eos sequitur, modò uidere non possunt. Isti uerò (electi) quia in istis uisibili-

16 IN PASSIONE CHRISTI,

bus cadunt, semetipsos sponte deiciunt, ut in inuisibilibus erigantur, quasi in faciem cadunt, quia timore compuncti uidentes humiliantur.

Euthymius super Matth. Patienter uerbis exprimit Iudæ Dominus accedenti, quo sine (scilicet proditorio) fuerit ipsum osculatus, & exprobrauit ei, quòd ex amoris signo fecisset signum proditionis. Interim non repulit, sed osculum suscepit, & se ut abduceretur præbuit: Ille tamen, quem ut amicum appellauit, ostendens suam misericordiam, quòd fuerit sibi cura de proditore Christus, licet tantum exceperit experimentum Christi uirtutis, humanitatis, atque mansuetudinis, omni tamen permansit fera securior & crudelior.

Thomas ex Cyrillo. Immemor Iudas gloriæ Christi putauit, se posse latenter agere, ausus est igitur præcipuum dilectionis signum, organum efficere doli.

Idem ex Ambrosio. O Iuda, amoris pignore uulnus infligis, & pacis instrumento mortem irrogas? Seruus Dominum, discipulus prodis magistrum, electus autorem? Item. Magna o Domine significatio potestatis, magna disciplina uirtutis, quia consilium proditionis aperitur, & adhuc patientia non negatur, ostendit Deum quem proderet, dum occulta manifestat, ostendit quem traderet, dum dicit filium hominis, quia caro non diuinitas comprehenditur. Illud tamen plus confutat ingratum, quòd eum tradiderit,

derit, qui cum esset Dei filius, propter nos filius hominis esse uoluisset, quasi diceret, propter te suscepi ingrati, quod tradis hypocrita. Item osculatus est suum proditorem, non ut simulare nos deceat, sed ut neq; proditorem refugere uideretur, & plus afficeret traditorem, cui officia amoris non negaret, &c.

Idem Thomas ex Cyrillo. Non dicit ad Iudam, tradis magistrum tuum, uel Dominum tuum, uel benefactorem tuum, sed filium hominis, id est, mansuetum & mitem. Qui si non fuisset magister & dominus, quia tamen tam suauiter se erga te gessit, non esset merito a te prodendus.

Idem ex Leone. Noluit Dominus fieri uindictam uel uiolentiam à Petro, ideò eius Zelantis motum amplius progredi non sinit. Contra sacramentum religionis nostræ erat, ut qui mori pro omnibus uenerat, capi nollet. Dat igitur licentiam in se furentibus seuiendi, ne dilato gloriosæ crucis triumpho, & dominatio diabolica fieret longior, & captiuitas humana diurnior.

Idem ex Rabano. Oportuit ita actorem gratiæ fideles patientiam, suo exemplo docere, & potius ad sustinendum fortiter aduersa instruere, quam ad uindictandum prouocare.

Idem ex Hieronymo. Reprehendens Petrum, uult dicere, non indigeo 12. Apostolorum opera & auxilio, etsi omnes me defenderent, qui possem commo-
dius habere duodecim legiones Angelorum, si o-

pus esset. Quia uerò dixit, oportere scripturas compleri promptum, ad patiendum ostendit animum.

Idem ex Beda. Restituens amputatam auriculam summæ bonitatis inditium præbuit.

Ambrosius in liberis Officio. Dum diceret Christus, mitte gladium tuum in uaginam tuam, denotatum uoluit, quod nollet sanguine persecutorum defendi, qui totum mundum uoluit suo sanguine redimere, & lauare à peccatis suis.

Thomas ex Chrysostomo. Tunc miraculum fecit, sanans aurem Malcho, & erudiens nos, quoniam ijs qui malefaciunt, benefacere debemus, sic uirtutem hic reuelauit suam. Seruum autem Pontificis dicit, quia magnum est, quod factum erat, non solum quia curauit, sed quia curauit eum, qui super eum uenerat.

Idem ex Augustino. Malchus interpretatur, regnaturus. Quid ergo auris pro Domino amputata, & à Domino sanata significat, nisi auditum amputata uetustate renouari, ut sit in nouitate spiritus, & non in uetustate literæ? quòd cui præstitum fuerit à Christo, quis dubitat eum regnaturum cum Christo. Quod autem seruus inuentus est, & hoc ad illam pertinet uetustatem, quæ in seruitutem generat: sed locum accessit sanitas, figurata est libertas.

Gulhelmus. Percussio in aurem dextram, denotat Iudæos perdere uerum & dextrum auditum legis & prophetarum, et ex eis omnia sinistrè accepturos, & interpretaturos: sed restitutio dextræ est præmo-

præmonitio illorum multos illuminandos per Christi gratiam.

Vincentius. Auris dextra serui summi pontificis abscinditur, quia huiusmodi homines in aulis sunt adulatores habentes, unam aurem eamq; sinistram, ideo ea tantum audiunt, & Dominis referunt, quæ sunt plausibilia: interim carentes dextra aure ueritatem, & iusticiam non audiunt, &c.

Cyrillus. Ut ministrorum casus in horto denotabat casum Iudaicæ gentis & synagoga, quæ etiã hodie non est restituta, ita & abscissio dextræ auris denotat eorum excecationem, quod Christi uerbum non audiant.

Euthymius super Matthæum. Sinite hoc usque ait ad suos, ubi ostendit, se nolle defendi, interim ostendit, quòd iuxta dispensationem ablata sit seruo Principis sacerdotum auricula in signum, quòd Principes sacerdotum præ inuidia auditu priuati essent, ne audirent & intelligerent eas, quæ de ipso erant, prophetas. Sanans autem illum ostendit misericordiam, quam erga illos haberet, quodq; de illis, si libuisset, poenas sumpsisset: Verum ostendit, oportere potius beneficio afficere malefacientes.

Aquinas ex Beda. Illi omnes (ministri) iusto (Christo) mortem inferunt, ipse uerò persequentium uulnera sanat, undè bonitas eius fit perspecta.

Idem ex Ambrosio. Cum Dominus uulnere reuentum deterst, mysteria diuina subiecit, ut seruus

Principis mundi, nō naturæ conditione, sed culpæ au-
ris uulnus exciperet, utpote qui non audierat uerba
sapientiæ.

Dionysius Carth. Dum dicit, finite hos abire.
Noluit enim illos secum mori, tum quòd nondum ad
hoc idonei essent, atque statutum erat, illos Euange-
lium docere, debere per totum orbem: potissimum
autem ob hoc ne existimaretur mortem Christi, so-
lum pro omnium peccatis non suffecisse. Solus idcò
mori uoluit, ut solus agnoscatur Saluator, ut dicitur:
Ego solus torcular calcaui, &c.

Aquinas ex Augustino. Inimicos iubet & hoc
faciunt quod iubet. Sciunt scilicet Apostolus abire,
quos noluit Christus perire.

Cyrillus, sic hoc loco dicit: Christus iam uinctus,
iam tamen discipulos tutatur, Sinite inquiens hos a-
bire. Qui uerò eam paucorum in tali tempore curam
habuit, quomodo iam nō innumerabiles fideles pro-
teget (scilicet iam exemptus doloribus, & sedens ad
dexteram Dei) Omnipotens fuit uerbum Christi,
undè & Iudeorum compefcuit furorem, aliàs quomo-
do Petrus solus in gladio percutiens, euadere tantam
potuisset multitudinem? Verùm uirtus diuina uerbi
illius ipsum protegebat. O quoties ab infinitis pericu-
lis nos Deus custodit, & ignaros, & talo nihil præ-
cauentes. Sicut ergo uerbum illud Christi (Ego sum)
Iudeos strauit, ita hoc uerbo ex pari uirtute discipu-
los ab istorum uesania eripuit.

Augustinus

Augustinus in quest. noui & ueteris testamenti. Permissus est Petrus dolorem facere, non accidere. Item, Petrus errans in amore Domini seruo, non libero, amputauit aurem: neque id caret mysterio, quia dum seruum percussit, designat eos, qui sub lege Moysi uiuebant, & seruos fuisse, & seruilem timorem habuisse. Ferre iussit gladios, non ferire. Idem si mox apprehendi patitur.

Augustinus. Ligauerunt eum, à quo potius solui uelle debuerunt, illum constrictum tenebant, qui potestatem ligandi et soluendi habet in cœlo & in terra.

Bernhardus ait. Considera hic anima mea, & uide quomodo propter te D. N. I. C. & propter totum genus humanum captus sit miserè. Tu capi debebas, tu uincienda eras, tuo collo astringendus erat funis, tibi manus ligari debebant, quoniam tu peccasti, tu Deum offendisti, tu omnis huius amaritudinis causa es, non ille innocentissimus Christus, &c.

Anselmus. Non illos absterruit, illa potens istorum deiectio ad terram, quam quidem non defensionis causa fecisti, sed ut cognosceret humana præsumptio, nihil se posse aduersum te, nisi quantum permittatur à te. Ah tuam quoque misericordiam super hostes tuos distillare fauus dulcedinis tuæ non cessauit. Nam & mutilatam à discipulo aurem serui tangens sanasti. O maledictus furor eorum, quam pertinax, quem nec maiestas miraculi, nec pietas beneficii potuit confringere.

Gregoꝛ

Gregorius Remigius & Beda, sic de fuga discipulorum loquuntur. Vbi nunc pertinax audacia tua Petre, ubi istud, quod paulò antè dixeras, etsi omnes scandalizati fuerint in te, at non ego? O Ioannes dilectissime Christi discipule, ubi ille nunc amor tuus feruens, ubi ardentissima charitas, qua præ cæteris te illustravit Dominus? Quid ità reiecto syndone aufugisti, immemor iam tuæ fratrisq; tui nimium temerariæ presumptionis, quando dicebatis Christo, posse ex uos bibere calicem, quem ipse bibiturus erat? O Simon Taddæe & Iacobe, obliuiosos uos omnisq; iam cognationis oblitos, cum etiam gentes sæpè in uinculo amicitiae seruando constantiores fuerint? Vbi uirilis ille tuus animus Thoma, qui dixisti, Ascendamus & nos atque cum illo moriamur? Quid multa, omnes Apostoli oblitos erant promissionis suæ, qui mortem omnes pro suo magistro promittebant communem, sed iam capto Domino, soluta fide omnes fugerunt, &c.

DE IIS QUAE ACCIDERUNT
in aula Pontificum, circa Iesum & de
casu Petri, sequuntur nunc quos
que Patrum medita-
tiones.

Thomas Aquinas ex Hiero. Saluator noster qui
mundo salutem contulit, & humano generi sua pie-
tate

tate subuenit, sicut ouis ad occisionem sine uoce ducitur & obmutuit, & siluit à bonis, Ideò ipsius Christi taciturnitas Apologiam, id est: Adæ excusationem absoluit.

Idem ex Augustino. Comprehenderunt Iesum, ad quem non accesserunt, ut illuminarentur. Si enim sic accessissent, nõ eum manibus occidendum, sed corde recipiendum comprehenderent. Nunc uerò, quum eum illo modo comprehenderunt, ab eo longius recesserunt: & ligauerunt eum, à quo solui debebant, & erant fortè in eis, qui postea liberati ab eo dixerunt, dirupisti uincula mea.

Idem ex Chrysostomo. Ne auditor, lectorue aut audiens uincula, tumultuetur, recordatus est prophetiæ, quia mors eius salus fuit orbis terrarum.

Idem ex Alcuino. Cayphas emerat unius anni pontificatum teste Iosepho: non sit igitur mirum, si iniquus pontifex de Christo iniquè iudicauerit, quia sæpè, qui per auaritiam ad sacerdotium accedit, in eo per iniusticiam seruatur.

Idem ex Ambrosio. Petrus sequitur à longè, quia ab illo proximus negatur: neq; enim negare potuisset, si Christo proximus adhæsisset. Sed in hoc fuit reuerendus, quòd Dominum non reliquit, etiam cum timeret: metus natura est, cura pietatis.

Idem ex Beda. Quòd Christum ad passionem euntem, sequitur Petrus, significat Ecclesiam sequuturam à longè, hoc est, imitaturam Christum, sed

sed longè aliter: Ecclesia pro se patitur, Christus autem pro Ecclesia.

Hugo. Non tantum Iudæi ligarunt eum in horto, & adduxerunt eum ad Pontificem, sed aderant etiam Romani, milites cum tribuno, ut uideamus tam gentes, quam Iudæos, tam absentium, quam presentium manus (hoc est, sacerdotium iussu hoc faciebant) ligasse Iesum, id est, omnium hominum peccata, ideò dicitur, ligauerunt eum in numero plurali. Ligauerunt eum, ut securius ducerent: sed ipsi hunc ligarunt, ut nos solueremur. Iam completa est in Christo scriptura, funes peccatorum circumdederunt me. Ideò quoque, si opus sit, non erubescamus pro Christo uincula suscipere, quem per Christi uincula sunt sacrata & nobilitata sunt, ideòq; in martyribus gloriosa fuere. Discamus etiam & nos captiuare membra nostra, &c.

Vincentius. Christus ducitur ad Annam & ad Caipham, postea etiam ad Pilatum & Herodem, ut per multorum iudicum examinationem magis ipsius illucesceret innocentia: Interim Iudæi, hoc pacto uolebant reddi mortem Christum magis ignominiosam.

Thomas ex Alcuino. Pontifex non cognoscendæ ueritatis amore, interrogat Christum, sed ut causam inueniret, ut eum Romano præfuli traderet damnandum. Sed Dominus ita temperauit sermonem, ut nec ueritatem taceret, nec se defendere uideretur. Interim mox dat ei alapam ex famulis pontificis, ut completeretur

pleretur prophetia in hoc, Dedi maxillam meam
percutientibus.

Idem ex Augustino. Nihil erat Christi respon-
sione uerius, nihil iustius & mansuetius: sed Iesus ac-
cipiens alapam, nunquid uoluit eum qui percussit,
aut coelesti igni consumi, aut terra dehiscente sorberi,
aut correptum daemone uolutari, aut etiam alia hu-
iusmodi poena, uel etiam grauiori puniri? Quid ho-
rum per potentiam iubere non potuisset, per quem
mundus creatus erat? nisi nos patientiam docere uo-
lisset, per quam uincitur mundus, &c.

Euthymius super Ioannem. Horreto coelum, stu-
pesce terra, tum ob seruorū perfidiam, tum ob Chri-
sti clementiam. O audacissime, quid nam respondit
contumacius, an non potius detulit pontificatui, qui
pontificem maligne de his quae nouerat interrogan-
tem, non arguit? Quum ergo omnes concutere &
obruere posset, aut alio acerbo modo perdere, patien-
ter fert, uerbaq; proloquitur, quae omnem dissoluere
feritatem possint, quanquā non eam, quae illorū erat.

Idem. Discindens uestimenta inuitus prophetae
pontifex, discindendum esse pontificatum Iudeorum.

Dionysius. Impius ut impio Domino seruus adu-
letur, in innocentem contumeliosus est, & ut homi-
nis fauorem acquirat, in Deum ipsum impius est. Sed
qualis seruus, talis dominus, quia iniquus iudex ui-
dens reum ante datam sententiam affligi, tacet &
non prohibet.

Hugo.

Hugo. Ille gnatho est typus omnium adulatorum in aulis principum, Christum in pauperibus, uel sacerdotibus Dei male tractantium.

Guilhelmus. Non percussisset hic seruus Christum, nisi nostra peccata armassent manum illius: hanc à nobis ignominiam suscepit in se, ut nos ab æterna ignominia liberaret.

Theophylactus. Mitis Christi responsio, quemlibet miserum poterit ad benignitatem perducere, & animum asperum mitigare.

Cyrillus. Sic Christus Dominus à sordido mancipio, præter meritum, grauissimam alapam sustinuit patienter, certè docere nos uoluit, ut omnem contumeliam sufferre debeamus.

Chrysostomus. Hanc ignominiam poterant repente creaturæ omnes ulcisci, in creatore suo, nisi id precauisset Deus. Quoties enim, tum elementa, tum cœli uindicârunt contumelias & iniurias seruorum Dei? Annæ est adaperata terra magno hiatu, & deuorauit Dathan & Abiron? Non ne & Pharonem, cum uniuerso exercitu submersum in mari legimus? Non ne Chore ignis perdidit aduersitatem Moysi? Quoties cœlum afflixit grandine, fulmine, uel alijs malis peccatores? Et hic elementa, hoc quoque Iudeis nunquam permisissent, nisi id ita uoluisset Deus: imò Angeli ipsos occidissent, ut multa occiderunt milia in castris Sennacharibs. O igitur immensam in summa hominum malicia, & impietate patientiam?

Hierony^m

Hieronymus: Quur serenissimam Christi faciem uelarunt Iudæi? Quoniam iam amabilis fulgor egrediebatur ex oculis eius, ut fortè aspicientes eum, non potuerint conceptam animo maliciam ad libitum proficere: unde eum uelauerunt, nec aspicerent eius oculos et faciem, indigni tanto munere, cum Angeli delectentur aspectu eius.

Bernhardus: Quid turpius, quid ignominiosius quàm expui in faciem speciosissimam, in quam desiderant Angeli prospicere?

Chrysostomus: Ut canes uenatici prædæ captæ insultant, ita in iram cōtra Christum effervescebant, ut ita compleretur prophetia, corpus meum dedi percutientibus, & genas meas uellentibus. Ideo etiam alij communia, alij genas uellicare, alij pungere faciem non destiterunt, &c.

Ambrosius in lib. de Fide: Ille tales iniurias passus est, ne tu homo tuam iniuriam doleres.

Hieronymus: Talibus sputaminibus susceptis faciem animæ nostræ lauare, & uelamine faciei, uelamen cordium nostrorū auferre uoluit: & colaphis, quibus in capite percussus est Christus, caput humani generis, uoluit primum caput hominum, uidelicet ipsum Adam sanare, & alapis, quibus expalmatus est, laus eius maxima plaudenda in manibus nostris labijsq; denotatur iuxta: illud, omnes gentes plaudite manibus.

Anselmus: Amantissime Domine, quanta te indigna

D

digna

digna à propria gente pertulisti. Vultum tuum desiderabilem & speciosum forma præ filijs hominum, cuius aspectu delectantur Angeli, quæ omnes etiam cælos replet læticia, quem deprecantur omnes diuites plebis, polluti labij sui sputis inquinauerunt, sacrilegis manibus ceciderunt, uelo operuerunt in derisionem, & te Domine, creatorem omnium, tanquam abiectissimum seruum colaphisarunt.

Bonauentura: Expergiscere anima mea, & respice in faciem Christi tui, uide faciem illam, quondam splendore luminosam, propter te uelatam: Deus illudatur, ut tu honoreris, innocens pungitur, ut tu consoles, iustus damnatur, ut tu libereris, &c. Item cognosce anima, quanta ista nocte pro te tuus saluator perpeffus sit.

Lupoldus: Eius rei quam conspuimus, odorem nobis foetere significamus: En ita foetet hominibus panis Angelorum, dehonestant & conspuunt faciem, quam iam anxie desiderarunt patres nostri. Iam completum est illud Dauidis, opprobria exprobrantium tibi ceciderunt supra me. Nos eramus blasphemi ipsi, & propterea rei mortis. Nostra erant hæc promerita opprobria, quæ Christus in se transtulit, ne conscientia nostræ in talibus malis perpetuò cruciarentur.

Hugo: Magister tuus, ô anima, conspuitur, Saluator tuus illudatur, Dominus tuus percutitur, Deus tuus uilius tractatur, quam ullus unquam ex hominibus:

bus: Hæc sunt tua merita, quæ ad tantam ignominiam filium Dei perduxerunt. Quàm uilis est hic Christus coram hominibus ad extra, tam uiles nos fuimus coram Deo in anima: et qualis erat hic Christus, tales oportuisset nos esse in æternum, nisi ex nobis in se transtulisset hæc. Caueas ergo anima, ne iterum conspuas in Christum, scedis cogitationibus, & uanitatibus colaphises, &c.

Guilhelmus: Deus bone, quod nemo esset qui ibi pro innocente consurgeret, qui ei patrocinaretur, qui defendere uel defensionis tempus pro illo petere præsumeret: sed quia omnium peccata in se transtulerat, necesse erat, ut omnes ipsum damnarent: ideo nomen eius, quod est super omne nomen, blasphemat, in quo solo nos inquam saluamur, & facies, quam omnes pij lætè aspiciere cupiunt, conspurcatur, &c.

Vincentius: Pontifex scindit uestimenta propria, quasi cohorrescens ad blasphemiam, cum tunica Domini nostri, nec ab ipsis inimicis scindi potuerit: ideo illorum sacerdotium scindi debere, propter hypocristi eorum designatum est, Christi uerò scripturam & Ecclesiam permansuram. Idem ferè habet Beda.

Thomas ex Hieronymo: Condemnant eum, ut reum mortis, ut reatu suo reatum nostrum solueret.

Idem ex Origene: Quantum putas fuit erroris, ipsam principalem uitam, ream mortis pronuncia-

re, & per tantorum resurgentium certa testimonia non respicere fontem uitæ, de quo in omnes resurgentes, uita fluebat.

Idem ex Chrysostomo: Attende, quod Euangelista summa diligentia, quæ uidentur ex probratissima exponat, nihil occultans aut uerecundans, sed gloriam existimans maximam, dominatorem orbis terrarum, pro talia sustinere. Hoc autem legamus continue, hoc nostræ menti inscribamus, & in his gloriamur.

Euthymius super Matth. Quod uoluerunt, stauerunt in concilio, ideo non occultè illum occiderunt, ne scilicet inuidia moti, occidisse eum uiderentur. Studuerunt enim potissimum propter plebem, ei hætenus adhaerentem, ipsum tanquam maleficum occidere, perdere nitentes opinionè, de eo uulgo conceptã. Ideo petierunt ipsum crucifixi, & simul cum ipso latrones, uidelicet ad maiorem ignominiam. Sed diuersum est factum, quia inde in nos maior resplenduit gloria. Interim quanta apud illos erat prauitatis abundantia, tanta rursus apud hunc erat tolerantia.

SE Q V V N T V R D E P E T R O E T
eius lapsu sententiæ Patrum.

Chrysostomus: Citante Thoma, Petrus detentum magistrum uidens solummodo, ita ira efferbuit, ut gladium euaginauerit, & auriculam absciderit, quando uerò contumelias Christi audiuit, negator efficitur, et uilis puellæ minas, non sustinet.

Thomas

Thomas ex Ambrosio, Beda & Rabano : Prima illum prodit ancilla, cum uiri illum magis potuerint cognoscere, nisi quod iste sexus peccare, in nece Domini quoque uideretur, ut eius passione redimeretur, similiter cum uiris.

Idem ex Leone Papa : Ob hoc hesitare permissus est Petrus, ut in Ecclesia Principe remedium poenitentiae conderetur, & nemo auderet de sua uirtute confidere, quando mutabilitatis periculum ne quidem Petrus potuerit effugere.

Idem ex Hieronymo: Petrus sine spiritu uoci ancillae cessit, cum spiritu, nec principibus, nec regibus cedit. Idem, illae negationes aliquid denotant, prima ancilla mystice est titubatio, secunda consensio, tertius uir actus est. Haec trina negatio, quam abluit per fletum, uerbum Dei, & Christi ueram recordationem; tunc nobis gallus cantat, quando praedicator quisque per praedicationem poenitentiae corda nostra ad compunctionem excitat: tunc incipimus flere, quando angimur intus per scintillam scientiae, & foris eximus, cum extra eijcimus, quod intus fuimus.

Idem ex Chrysostomo : Traditae erant Petro clauae regni caelorum, credenda ei erat populorum innumera multitudo, quae esset inuoluta peccatis: Erat Petrus paulo durior, sicut truncata serui principis sacerdotum auricula declarat: Hic igitur, tam durus tamque seuerus, si donum peccandi non fuisset adde-

ptus, quæ uenia cõmissis populis donaretur, ignorasset: quem diuina prouidentia permisit, quod primò ipse laberetur in peccatum, quò erga peccantes durior sententiam propriij casus intuitu temperaret, Idem ibidem: Quid ais ò Petre, uox tua repente mutata est. Os enim plenum fidei & amoris erat, & in odium perfidiamq; conuersum est: non tibi flagella Petre, nondum sunt admota tormenta, qui te interrogat, nullus est eorum qui autoritate sui possit formidinem incutere confitenti: mulier te simplici uoce interrogat, & fortè nec proditura confessum. Idem ibidem: Non sum, inquit, Petrus. O Petre, quid ais, non ne antea dixisti? Si oportuerit eorum mori, faciam. Quid uerò nunc factum est? quia nec hostiaria fers interrogationem: non tamen erat miles, qui interrogabat, sed ostiaria uilis, &c.

Idem Alcuino: Foris stabat, qui negaturus erat Dominum, nec aderat Christo, uel erat in Christo, qui Christum confiteri non est ausus.

Idem ex Beda & Remigio: Quàm noxia sunt prauorum consilia inter infideles, hominem se negauit nosse, quem inter discipulos DEVM fuerat confessus.

Idem ex Rabano: Tertiò cum uidet, se iuramento non elabi, incipit se deuouere & detestari. Perseuerare quippe in peccato, dat incrementum scelerum, & quia minima spernit, ideo cadit in maiora, &c.

Idem

Idem ex Augustino: Quid mirum, si Deus uera
 prædixit, homo autem falsa præsumpsit. Sanè in ista
 negatione Petri debemus aduertere, non solum ab eo
 negari Christum, qui dicit eum non esse Christum,
 sed ab illo etiam, qui negat se Christianum esse. Do-
 minus non ait Petro, discipulum meum te negabis,
 sed me negabis. Negauit autem ipsum, cum se negauit
 discipulum. Quid aut aliud isto modo, quam se nega-
 uit esse Christianum? Quam multi etiam pueri & puel-
 la, potuerunt mortem pro Christi confessione conte-
 mnere, & regnum cælorum fortiter introire, quod
 nunc Petrus non potuit, qui clauis regni cælorum
 acceperat. Ideo dixit, sinite hos abire, &c. Vtiq; e-
 nim Petrus, si negato Christo hinc iret, quid aliud
 quam periret?

Idem ex Chrysostomo: Petrus orbis terrarum
 doctor & magister peccauit, & ueniam impetrauit,
 ut hæc indulgentiæ norma iudicantibus præberetur.
 Idcirco recte puto, non Angelis commissam sacerdo-
 tij potestatem, ne cum ipsi minimè peccarent, in pec-
 catoribus sine misericordia uindicarent. Homo pas-
 sibilis super homines ordinatur, ut dum ipse in alijs
 suas recolit passiones, mitem apud eos se præbeat &
 benignum. Omnes Euangelistæ negationem Petri scri-
 bunt, non ut ipsum accusantes, sed nos erudire uolen-
 tes, quantum malum sit non Deo totum concedere,
 sed in seipso confidere.

Idem ex Beda: Respectio Iesu est misereri, quòd



non solum fit cum agitur poenitentia, uerum ut ea agatur, Dei misericordia necessaria est. Nam teste Ambrosio quos Iesus respicit, illi demum recte plorant delictum.

Idem ex Gregorio: Iam autem intus à charitatis calore Petrus torpuerat, & ad amorem praesentis uitae quasi ad persecutorum prunas infirmitate aestuante recalebat.

Euthymius super Matth. Vide quomodo eum, qui paulò ante adeò sese iactitabat, infirma ancillula praepceptorem negare fecit, utpote destitutum diuina gratia. Quia non solum negauit, sed id mox cum iuramento fecit, & tamen execrari coepit. Adeò ipsum deuicerat timor, ut paulò minus fuerit emortuus, quumq; gallus non semel tantum, sed & bis cecinisset, neq; ita ad sensum redierat, sed opus etiam fuerat saluatoris aspectu. Vide ergo infirmitatem, in quam breui tempore tertio grauissime negauerit, & successiue tres negationes emisit, non questionibus examinatus, sed forte fortuna in transitu requisitus. Sed uideamus Petri peccatum, uideamus & poenitentiam. Ob hoc etenim peccata & poenitentiae sanctorum scriptae sunt. Permissus est autem cadere Petrus, non propter dictas tantum causas, sed etiam ut ignoscere discat his, qui labuntur, horum imbecillitatem ex sua cognoscens: nam pastor constituendus erat. Et ut magnorum factus operator miraculorum, modestus sit ac sui casus recordatus, Deo rem omnem ascribat. Ita

& Paulus

Et Paulus cum tentationibus permissus est pugnare, ne extolleretur, potissimum uerò ut peccatoribus clarum esset pœnitentiæ exemplum. Si enim cæterorum princeps Apostolorum, qui tales uirtutes et uiderat et fecerat, tandem in negationem lapsus est, deinde agnito delicto illum pœnituit, et non solum breui tempore maculam omnem absterfit, sed et cæterorum pastor factus est, ac multorum miraculorum operator appellatus, ideo nullum qui ceciderit, desperare conuenit, sed illico pœnitentiam agere, quum diuitias mansuetudinis cognoscat.

Hieronymus: Gallus lucis, hoc est, Spiritus sanctus nobis quotidie cantat, dum uoce in Prophetis et Apostolis sonante, quotidie ad pœnitentiam excitamur.

Beda: Nemo sibi nimium præsumat, quin potius etiam qui stat uideat ne cadat, quia humilitas est, quæ omnia quantumuis ardua uincit et exuperat: et quis credidisset latronem præuenire in cælo, non dico Iudam, sed omnes Apostolos, ipsumque adeo Apostolorum præcipuum?

SEQVUNTUR NVNC MEDITATIONES Patrum, de ijs quæ coram Pilato & in prætorio à militibus circa Iesum C. D. N. acta sunt, & de casu Iudæ, &c.

Thomas ex Augustino: O impia cæcitas? alieni iudicis prætorio contaminari timebant, et fratris innocentis

D S

nocentis

nocentis sanguinem nō timebant. Ita ne Iudaei omnem sensum perdidistis, ut ideo uos à sanguine innocentis impollutos esse uos credatis, quum eum alteri fundendum tradatis?

Guilhelmus Durandus: Ecce iam tertio uincitur Christus, & uinctus ducitur ad Præsidentem iste qui uenit nostra peccata soluere: ideo mitissimus Dominus sepius ligatur, quia plura erant uincula nostra, quae rumpere uolebat suis uinculis, ut permaneret uerum, laqueus contritus est, & nos liberati sumus.

Alexander de Ales: De cōmuni consensu & cum omnium leticia, sine ulla commiseratione ducitur tuus, ecce Christus ad iudicium damnationis, ita nos protraxissent diaboli ad iudicium, nisi hic stationem Christus nostram adimpleuisset.

Theophylactus: Ad multos iudices ducunt Dominum, opinantes se ipsum contumelia affecturos, sed reuera per multa tribunalia ipsum clarum reddunt. Dominus etenim omnia illa exiuit nos conuictus à crimine, quia sic fit testatum magis innocentem pati, uidelicet, pro nocentibus.

Anselmus: Vinctū te ante faciem Pilati Præsidentis perduxerunt, postulantes supplicio crucis perimi te, qui peccatum non noueras, & uirum homicidam donari sibi, lupum agno, auro lutū praeponentes. O indignum & infelix permutationis genus? Impius ille non ignorabat te ipsi per inuidiam traditum, & tamen à te non abstinuit temerarias manus, sed impleuit amas

uit amaritudine animam tuam sine causa. Illudendum te Herodi misit, illudum recepit, nudum in conspectu aduersariorum astare te fecit, nec pepercit uerberibus amarissimis uirginem carnem diuellere, & plagas plagis addere, imò uulnera uulneribus & liuores liuoribus infligens. Electe puer Dei mei, quid tanta confusione dignum commiseras? prorsus nihil. Ego homo, ego perditus totius contritionis, totius tuæ huius confusionis causa extiti. Ego Domine uuam acerbam comedi, & dentes tui obstupuerunt, quia quæ non rapuisti, tu exoluebas.

Lyranus: Iuste traditi sunt Romano exercitui postea Iudæi, qui saluatorem tradiderunt Romanorum præfidi, &c.

Hugo: Tacuit etiam & interdum coram Pilato, ut loquacitatem Eue expiaret, & pro nobis coram Deo compareret intercessor.

Rabanus: Iniuste coram Pilato & Herode, quasi multis criminibus reus accusari uoluit, ut nos à iusta accusatione, quam contra nos instituit diabolus, liberaret, deinde ut nos doceret patienter ferre hominum calumnias.

Augustinus: Stultissimi domum gentilis ingredi metuunt, & sanguinem fundere innocentem non timeant. Parua & minutissima legis præcepta seruare studebant, magna nihil curabant, ideo etiam pro nullo peccato reputant, Christum tradere crucifigendum Præfidi. Idem. Nolunt ut de facto Iesu quicquans interroget

terroget Pilatus dicendo: Nisi esset hic malefactor nos (qui sumus tam pij) non ipsum tibi tradidissimus. Sed hic meritò debuissent interrogari, ut responderent liberati per ipsum ab immundis spiritibus, sanati ex languore, mundati ex lepra, surdi facti iam audientes, muti loquentes, cæci uidentes, mortui resurgentes, &c. Vtrum malefactor esset Christus Iesus, qui omnibus benefecerat. Sed contrarium dicunt illi, qui pro bonis mala retribuiebant.

Thomas ex Origene: Iudex totius terre, & omnis creaturæ à Deo patre constitutus, uide quantum sese humiliavit nostri causa, ut acquiesceret, stare coram Iudice, tunc terre Iudæe, &c.

Idem ex Chrysostomo: Interroganti an sit Rex Pilato, respondet, Tu dicis, quia per fidem præsentis quæstionis (scilicet de uero & eterno regno Christi) salus est gentium.

Idem ex eodem: Dicendo suum regnum non esse de hoc mundo, ostendit huius regni, quod apud nos est, imbecillitatem, quoniam hoc ex ministris habet fortitudinem: superius uerò regnum sufficiens est sibi ipsi, nullo indigens, si igitur maius est illud regnum, uolens iam captus est, seipsum ultrò tradens.

Ibidem ex Augustino: Audite (uult Christus dicere) uos Iudæi & gentes, non impedio dominationem uestram in hoc mundo. Quid iam uultis amplius, uenite ad regnū credendo, quod non est de hoc mundo. Non autem dicit: Regnum meum non est in hoc

hoc mundo, sed non est de hoc mundo. De mundo quidem est, quicquid hominum à Deo quidem creatum est, sed simul ex Adam uitiosa stirpe generatum: factum est autem regnum, non iam de mundo, quicquid est in Christo regeneratum. Sic omnes nos eripuit, de potestate tenebrarum, & transtulit nos in regnum filij sui. Sed ideo quidem est regnum Dei in mundo, sed non de mundo, quia dominatur his per fidem in credentibus.

Cyrillus: Cùm Christus dixit suum regnum non esse de hoc mundo, insinuare uoluit, ne Pilatus Vicarius Romanorum opus habeat sibi metuere à Christo, qui nullum unquam conscripsit exercitum, aut satrapas, aut milites conduxit.

Thomas ex Ambrosio: Ad reliqua obiecta tacet, cùm uehementissimè accusaretur, quia defensione non indigebat, ambigant se defendi, qui timent uinci.

Idem ex Gregorio: Inquisitus redemptor (ab Herode) tacuit expectatus, miracula adhibere contempsit, seq; ipsum apud se in occultis retinens, eos quos exteriora quærere comperit, ingratos foris reliquit, magis eligens apertè à superbientibus despici, quàm à non credentibus uacua uoce laudari.

Idem ex Ambrosio: Non ociosum est, quòd indutum alba ueste ab Herode remittatur ad Pilatum, quia hoc pacto immaculatæ tribuit indicia passionis Christi, quòd sub Pilato passurus sit uerus agnus Dei sine macula, in se mundi peccata suscipiens. Nec caret mysterio,

40 IN PASSIONE CHRISTI,

mysterio, quòd fiant in hoc amici, Herodes & Pilatus: In illo typo Herodis & Pilati, qui facti sunt amici ex inimicis per Iesum Christum, plebis Israel & populi gentilis figura seruatur, quòd per Domini passionem utriusque sit futura concordia.

Idem ex Hieronymo & Beda: Iesus nihil respondere uoluit, ne crimen diluens dimitteretur à Præsede, & crucis utilitas differretur.

Augustinus in Meditat: Ecce agnus sine macula, qui coram se tondentibus obmutuit, qui alapis cæsus, sputis illitus, opprobrijs affectus, os suum non aperuit, is qui peccatum non fecit, in silentio & patientia nostra peccata pertulit, & languores nostros suo liuore sanauit.

Cyrillus in Apologo: Videtis uoluntariæ paupertatis mensuram? uita mortem gustat, iudex in iudicium trahitur, Dominus uitæ omnium quæ sunt, sententiam tolerat iudicis terreni: Rex omnis ultra mundanæ uirtutis licitorum manus non repellit.

DE IUDA.

Euthymius super Matthæum: Talis est Diabolus, qui ante peccatum non permittit suis uidere peccatum, ne sequatur resipiscentia, postquam uerò peccatum omnibus numeris fuerit completum, uidere permittit, ut mœrore afficiat, & in desperationem præcipitet: Ideo mox fatetur delictum, dat Christo testimonium innocentie Iudas.

Hugo: Antea Christi suauissima monita, non potuerunt

tuere

tuere Iudam ad poenitentiam perducere, ut ab incepto auaritiæ studio desineret: nunc poterit ipsum Diabolus ad proiectionem nummorum & desperationem adigere, imò terrore ad laqueum usque cogere, ut & pecunia & uita utraque priuetur: Sic ille soluit suis stipendiarijs. Caueamus igitur, securitatem.

Euthymius super Matthæum: Cùm illi dicunt, tu uideris, testimonio, Iudæ assentiunt & ueritatem licet inimici confessi sunt, instigante autem furore, omne crimen in Iudam declinantes, ipsi iam affectione ebrij ad cædem Christi impelluntur. Cùm peccatum Iudas coram omnibus fatetur, ac argenteos proiecit, resipiscentiam ostendit, sed suspendens se laqueo, desperationem declarat. Agnouit delictum, huius eum poenituit, sed ab eo ueniam, qui eam dare potuit, non requisit: neque enim permisit eum Diabolus sic poenitentia duci, quò ad Christum iret, in quem peccauerat: sed hunc ante perfectam poenitentiam abduxit, utpote conscientia remorsum non ferentem. Quum ergo ad hunc tanquam ad clementissimum confugere oporteret, miser is ad mortem potius confugit, ut à desperata tristici; uita citius liberaretur.

Idem Euthymius: Triginta argentei, quibus postea paratus est ager in usum peregrinorū, Iudæ merces erat iniquitatis, quam aduersus præceptorē perpetravit. Quid obsecro huius proditione iniquius intelligamus ergo, qui argenti sumus amatores, quomodo Iudas

42 IN PASSIONE CHRISTI,

do Iudas & peccatum perpetravit propter lucrum,
& interim lucri uel pecuniæ fructum non accepit,
& propriam tamen animam perdidit. Hæc est mer-
ces talium.

Thomas ex Augustino: Prouidentia Dei esse fa-
ctum puto, ut pretium Saluatoris non peccatoribus
sumptum præbeat, sed peregrinis requiem submini-
stret, ut iam inde Christus & uiuos sanguinis sui pas-
sione redimat, & mortuos pretiosa passione susci-
piat: Pretio ergo dominici sanguinis, ager figuli com-
paratur: Legimus in scripturis, quòd totius generis
humani salus redempta sit sanguine Saluatoris: Ager
ergo, iste est mundus hic totus: Figulus autem, qui
mundi possit habere dominatum, ipse est, qui uascu-
la nostra fecit de limo: Istius itaque figuli ager, Chri-
sti pretio, id est, sanguine eius emptus est peregrinis,
in quo, qui sine domo, patria & toto orbe exules iam
stabantur, requiris, Christi sanguine prouidetur.
Istos autem peregrinos esse dicimus deuotissimos Chri-
stianos, qui rectè renunciantes seculo, sunt ut nihil ha-
bentes, & requiescunt tantum in sanguine Christi.
Sepultura enim Christi nihil aliud est, quàm sepultu-
ra Christianorum, Consepulti enim sumus, ut ait A-
postolus, cum ipso per baptismum in morte. Nos era-
go peregrini in hoc mundo sumus, & tanquam hos-
pites in hac luce uersamur, &c.

Gerson: Hic ex nobis considerat bona & ma-
gna pars Christianorum, an non ipsi sæpè iniquio-

res

res iuda sint, dum nulla pœnitentia ducuntur, nec ablatum uel bona, malè parta restituunt, imò bona & famam alijs ablatam non reddunt: Ideò ipsi uideant etiam & pleriq; ne nimium in confessionibus rigidi sint erga peccatores, quia cum hic dicerent insolenter Pontifices, quid ad nos, tu uideris, uidetur desperatio ex iniquo responso simul ortum habuisse.

DE IIS QUAE IN PRAETORIO acta sunt.

Augustinus citante Thoma Aquina: Traditur Iesus militibus uerberandus & illud sanctissimum corpus flagellis secuerunt: Ecce Dominus aptatur ad uerbera, ecce iam ceditur, rupit sanctam cutem uiolentia flagellorum, repetitis ictibus crudelia uerbera scapularum terga concidunt. Proh dolor iacet extensus ante hominem Deus, & supplicium patitur rei, in quo nullum peccati uestigium potuit inueniri.

Idem ex Hieronymo: Hoc autem factum est, ut quia scriptum erat, Multa flagella peccatoris, illo flagello liberaremur à uerberibus. Idem ex eodem, opprobria Iesu Christi, nostrum abstulere opprobrium, uincula eius nos liberos fecerunt, per coronam spineam capitis eius, diadema regni adepti sumus.

Ibidem ex Beda: Pro diademate spineam ei coronam imponunt, & pro purpureo uestimento, quo reges ueteres utebantur, uestem quidem purpuream

E ei cir=

44 IN PASSIONE CHRISTI,

ei circumdant, Matthæus scribit coccineam ei chlamidem circumdedit ipso, quia ut Origenes ait: Vnius sunt materiae coccus & purpura. Cocculæ enim inciduntur, & ex his guttæ sanguinis fluunt, ex quibus utriusque generis tingitur uestimentum: & quamuis hoc milites illudendo facerent, nobis tamen operantur mysteria. Nam per spineam coronam, nostrorum designatur peccatorum susceptio, quæ sicut spinas terra nostri corporis germinat: In uestimento (sanguine tincto) caro passionibus subiecta significatur: Purpura etiam uestitur, cum de triumphis sanctorum martyrum gloriatur.

Idem ex Chrysostomo: Tu uerò hæc audiens Christiane, in mente habe continuè, & regem orbis terrarum & Angelorum Dominum, uidens nunc ita contumeliam patientem, & omnia ferentem, silentio imitare.

Idem ex Augustino: Sic omnia implebantur, quæ de Christo prædicta erant (uidelicet Psal. 22. & Esaie 53.) & ipse prædixerat: sic martyres informabantur ad omnia, quæ persecutores libuit facere perferenda. Sic regnum, quod de hoc non erat, superbum, mundum non atrocitate pugnandi, sed patiendi humilitate uincebat.

Idem ex Beda: Spuunt etiam hodiè in faciem eius, qui gratiæ præsentiam uerbis execrandis respiciunt: Sunt & hodiè qui eum certa fide, ut Deum uerum adorant, sed prorsus actionibus, uerba eius quasi

quasi fabulosa despiciunt, ac promissa uerbi illius temporalibus illecebris postponunt.

Idem ex Hieronymo: Mystice exuitur suis uestibus, & aliena induitur, id est, iudæis (qui sui erant) exuitur & induitur purpura, id est, gentiliū (qui alieni erant) Ecclesia, quam de scopulis collegit, & rubentem suo sanguine fecit, ut sit purpurea.

Bonauentura: Ecce quomodo undique primò apud Herodem & eius exercitum, atque deinde in pratorio à militibus Pilati Rex gloriæ, Dei uirtus & sapientiæ Christus spernatur, ut hominis superbia tollatur & aboleatur. Christus, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei reconditi, cogitur esse Herodi fatuus, & eius exercitui stultus? Pilati uerò militibus morio, tanquam nihil sciens, & extreme contemptus, quem ab uno traxerunt ad alium, nunc hinc nunc inde ipsum in tantis delusionibus pungentes: ideo uideamus, quòd ei nihil profuerit sua innocentia, sed nostra ei culpa nocuerit. Nisi enim nos peccassemus, ille nihil mali pateretur: & nisi ille innocens esset, illi nocentes non seuirent in eum.

Augustinus: Oportet te piissime Iesu flagella pati, ut flagella peccatorum tolleres, quæ multa sunt.

Bernhardus: Ecce coronam plectunt ex acutissimis spinis, eam capiti Christi mei sanctissimo impo-

E 2 nunt,

46 IN PASSIONE CHRISTI,

nunt, capiti inquam uniuersi mundi, capiti ad quod
inclinant coelum & terra. Et expendamus, quan-
tum doloris hoc capiti eius attulerit, quum illud acu-
tissimis spinis perforatum sit. Sed illae spinæ peccata
nostra fuerunt, quæ pupugerunt caput Domi-
nicum.

Augustinus: Tu Domine Iesu flagellatus es, ut
nos à flagello peccati liberares: Tu spinis corona-
tus es, ut nos tuis æternis rosis coronares.

Bonauentura in soliloq. Vide anima mea quo-
modo ille, qui est super omnia benedictus Deus, à
planta pedis usq; ad uerticem totus in aquas passio-
nis demergitur, ut te totum de magnis passionibus
extraheret. Intrauerunt aquæ usq; ad animam suam:
Itaque dic anima mea cum multa fiducia, Miserere
mei Deus, miserere mei, quia in te cõfidit anima mea.
Ecce decurrit sanguis preciosissimus ex foraminibus
ipsi per flagella incisis, nullo tamen prorsus reatu re-
perto in ipso: Et tu perditte homo totius huius confu-
sionis & contritionis existens autor, quomodo non
in fletum erumpis? Ecce innocentissimus agnus ut te à
sententia iustæ damnationis eriperet, iniusto pro te
elegit iudicio damnari, & deinceps crucifigi.

Theophylactus: Decem iniuriarum generibus af-
fecerunt eum milites in prætório, ut ita pro peccatis
contra decem præcepta commissis plenè satisfaceret.
Atque hæc ab alijs ut Anselmo & Alberto Magno
recitantur ita: Conuocarunt cohortem ad risum &
ludis

ludibrium excitandum, 2. subsanabant eum & colaphizabant, 3. denudant eum, ut esset opprobrium hominum & abiectio plebis: 4. induunt eum chlamide, ut derideant pro ficto rege, qui tamen semper surgit mundi gloriam. 5. Nectunt spinam coronam, et capiti eius imponunt, quæ caput eius uulnerauit: 6. dant ei calamum pro sceptro in manum, quæ tamen omnia sustentat. 7. Genua flectentes adorant eum, dicendo: Aue rex iudæorum, ut ita eius regnum plane derideant & desiciant: 8. Spuunt in faciem eius, ideo merito non fuit splendor & decor, in eo, iuxta prophetam. 9. Arundine pupugerunt eius caput, tanquam uictores eius, quia hoc pacto nos uoluit patiando uictores facere. 10. Flagellarunt eum, ut non esset sanitas in illo, &c.

Ideo rectè dicit, Albertus Magnus: O splendor gloriæ paternæ, speculum sine macula, sol iusticiæ, emanatio charitatis Dei sincera, candor lucis æternæ, uera lux mundi, quæ te uicit clementia, quæ te urgebat charitas, ut ad eò te propter nos humiliares deijceres, & tam uiliter te tractari permitteres? Nisi in perpetuum ostenderes abundantes diuitias gratiæ tuæ, in bonitate tua super nos, &c.

Bernhardus: Quid tam efficax, ad curanda conscientie uulnera, nec non ad purgandam mentis aciem, quam uulnerum & flagellorum Christi sedula meditatio & recordatio.



48 IN PASSIONE CHRISTI,
DE PRODUCTIONE, DAMNATIONE & crucifixione Iesu, Patrum meditationes, &c.

Anselmus: Et produxit illum Pilatus dicens: Ecce homo, Attende nunc anima mea, quis est, qui ingreditur, habens imaginem, quasi regis & nihilo minus serui despectissimi confusione repletus est: Coronatus incedit, sed ipsa eius corona cruciatus est illi, & multis puncturis eius speciosum uerticem diuulnerat, regali purpura induitur, sed in ea ad summum contemnitur & deridetur, non honoratur. Sceptrum in manu gestat, sed eo ipso uenerandum eius caput feritur. Aderant coram illo, positus in terram genibus, & regem conclamant, & tamen continuo ad conspuendum amabiles genas eius subsiliunt, & maxillas palmis concutiunt, eiusque honorabile collum dehonstant. Vide anima quomodo uir ille propter te ardetatur, &c.

Hugo: Quam sanguineus, quomodo laceratus flagellis tanquam leprosus undique hulceribus (ut de Iob legitur) pressus procedit, totus iam derisus, & despectus, nunc incedens plebi exhibetur: sed Deus in ipsum posuit omnes iniquitates nostras, ideo quot peccata commisisti, toties tu flagellasti Christum: ideo etiam nulla super illum misericordia tanguntur, ut absolute pro omnibus nostris peccatis persolueret.

Diony

Dionysius: Ita nunc Deus pater omnes ignominias, & flagella sanctorum in Christi calumnijs, & flagellis sanctificauit.

Augustinus in Meditat. Ego Domine Iesu, sum plaga doloris tui, culpa tue occisionis, ego mortis tue meritum, tue uindictae flagitium, Ego passionis tue liuor, tui cruciatus labor. O mirabilis censurae conditio, & ineffabilis mysterij dispositio, peccat iniquus, & punitur iustus, deliquit reus, & uapulat innocens, offendit impius, & damnatur pius, quod meretur malus, patitur bonus, quod perpetrat seruus, exoluit dominus, quod committit homo, sustinet Deus: Et mox. Ego iniquè egi, & tu plecteris, ego crimen edidi, tu torture subijceris, ego superbiui, & tu humiliaris, ego tumui, & tu attenuaris, ego inobediens fui, tu obediens scelus inobedientiae luis, &c.

Ambrosius & Augustinus: Quò nate Dei, quò tua descendit humilitas? quò flagrauit charitas? quò processit pietas? quò peruenit compassio? ego facinus commisi, & tu ultione plecteris, sic procedens, ut uermis? &c.

Alexander de Ales: Ecce homo, uide quid meriti sit homo, uide quàm miser sit homo, uide quid pro te in carne sit passus Deus, ne ingratus inueniaris: Intuere in tam misera forma procedentem Iesum, ut nunquam de eius gratia desperes: quia exiuit, non habens speciem uel decorem. Qualis fuit species filium Dei spinis coronatum, illusum & proprio sanguine



50 IN PASSIONE CHRISTI,

cruentatum, oculis inimicorum suorum proponi?
 Quid deformius? quid potuit esse miserius? quis unquam hunc filium Dei credidisset? Sed hæc deformitas nobis est consolatissima, quia ita satisfactum est pro reatu nostro. Cur non mereretur tanta exinanitio et deiectio, & humiliatio, filij Dei apud patrem, quam spontè suscepit propter nos, quiduis & nobis omnia impetraret, &c.

Augustinus sub persona Pilati: Si regi inuidetis, iam parcite, quia deiectum uidetis, flagellatus est, spinis coronatus est, ludibriosa ueste amictus est, amaris conuitijs illusus, alapis cæsus est, ideo feruente in illo ignominia, frigescat in uobis inuidia.

Cyrillus: Satiamini sanguine innocentissimo, si quid humanitatis in uobis est, si quæ uiscera misericordiae & miserationis uobis sunt. Leo & ursa raptis catulis, sic humiliato parcerent: parcite uos regi uestro, ueritatis doctori, omnium bonorum largitori, maximo omnium benefactori. Si hircus uestrum tetigit, uitia reprehendendo, ueritatem dicendo, boni hoc consulite, &c.

Thomas ex Augustino: Exijt Iesus ex prætorio, non clarus imperio, sed plenus opprobrio: Sed Iudæorum inuidia pro Christi ignominia non frigescat, sed potius inardescit & crescit. Ideo maluerunt sibi donari Barnabam, quàm IESVM, Non reprehendimus ô Iudæi, quòd per pascha liberastis nocentem, & occidistis innocentes,

centem, quod nisi factum esset, uerum pascha non fieret.

Idem ex Beda: Quia reliquerunt saluatorem & petiuerunt latronem, ideo usque hodie latrocinia in ipsos exercet diabolus, &c.

Idem ex Ambrosio: Non immeritò homicidæ absolutionem petunt qui flagitabant innocentis exitium: tales leges habet iniquitas, ut quod oderit innocentia, scelus diligat: In quo tamen nominis interpretatio speciem dat figuræ. Barrabas patris uel magistri filius latine dicitur. Illi ergo, quibus dicitur, uos ex patre diabolo estis, uero Dei filio, patris sui filium, id est antichristum prælaturi esse probantur.

Idem ex Beda: Hæret. Iudæis usque hodie illa petitio sua, quia iam data optione pro Iesu latronem, pro redemptore seditiosum, pro saluatore interfectorem eligerunt, ideo meritò salutem uitamq; perdidērunt, ut latrocinij & seditiōibus se in tantum subicerent, ut & patriam & regnum suum perdiderint: sed pessimo genere innocentem occidere, hoc est, crucifixi clauis ad lignum pedibus manibusq; confixis producta morte necabantur, ne dolor citius finiretur. Verum à Domino erat electa crux & mors crucis, quam, diabolo superato, tanquam trophæum in frontibus fidelium erat positurus.

Idem ex Chrisostomo: ipsi iudæi hoc pacto putabant se hoc astruere posse (ut ita eius æstimatio plane periret) quòd Iesus deterior esset latrone & adeò

E S nequam

52 IN PASSIONE CHRISTI,

nequam ut neque pro pietate & pro festi prerogativa deberet liberari, &c.

Idem ex eodem: Volentes seipsos submiserunt supplicio propterea & tradidit eos Deus. Quia enim concorditer negauerunt regnum Dei, dimisit eos in suum iudicium incidere, Regnum enim Christi resutantes, id quod Caesaris erat, super seipsos temere uocabant: Excusserunt suaue iugum Christi, & in se Romanorum grauiamen asciuerunt: quia Christum regem uolunt, quem propterea accusant tanquam hostem Caesaris, & externum regem, cum hoc demonstrare nequeant: ubi hoc à curru, à militibus, à uestitu & habitu eius probare potestis? Solus cum duodecim discipulis ambulauit nihil magni habens, &c.

Idem ex Augustino: Ad haec omnia siluit, quia ubi non respondebat, non sicut reus & dolosus sed sicut ovis silebat: ubi respondebat, sicut pastor docebat: Ideo in quibus tacuit, non sicut sibi male conscius, ut qui de peccatis posset couinci suis, sed sicut mansuetus, qui pro peccatis immolabatur alienis, &c.

Euthymius super Matth. Ita quoque miseri sanguinem Christi, id est, sanguinis ipsius condemnationem prouocant in se & aduersus filios suos, ut eos quoque trahant in summam imprecationem. Interim Christus postea & de eis (qui modo clamauerunt crucifige) et de filiis eorum resipiscentes suscepit: nec solum liberat eos ab huiusmodi imprecatione. sed & mille bonis dignos facit, ut in Paulo uidere est qui quoque

quoque ex eis erat & in multis eorum, qui postea Hierosolymis crediderunt.

Rabanus: Miserat ad Pilatum uxor, cum clamarent sanguis eius supra nos, &c. Diabolus intellexit tandem per Christum se nunc sua spolia amissurum, ideo sicut primum per mulierem mortem, intulerat, ita per mulierem uult nunc Christum de manibus iudeorum liberare, ne per eius mortem ipse mortis non amittat imperium. Idem repetit Bernhardus.

Augustinus de feria quarta: Humilitas tua o Iesu facta est exaltatio mea, seditas tua facta est pulchritudo mea, &c.

Guilhelmus Parisiensis: Sic oportebat Christum extenuari infra nouissimum uirorum, & descendere in extremum contemptum, ut in posterum summe glorificaretur: Maxima exinanitio est, haberi Christum nequiores latrone, ita eum commaculatum & uerberatum procedere, ut etiam gentilis compatiatur ei. En isti petierunt autorem uitae occidi, & dimitti illum qui occiderat alios, perire cupiunt lucem, ut maneant tenebrae, auferri uolunt pacificum, & remanere seditiosum, uitam negligunt, & mortem exoptant. Sed Adam cum tota posteritate erat per diabolum ille seditiosus & latro factus, & propter Christum dimittitur, Christus uero crucifigitur.

Thomas ex Chrysostomo: Non uoluit Dominus pati sub tecto, non in Templo iudaico, ne putares, pro illa tantum plebe oblatum esse. Ideo foras ciuitatem,

tem,

54 IN PASSIONE CHRISTI,

tatem, foras muros, ut scias sacrificium esse commune, quod totius terræ sit oblatio, quod communis est purificatio.

Idem ex eodem: Lignum ut profanum putabant, & uitabant milites, & neque tangere ipsum sustinebant, crucem Iesu ut condemnato imponunt, ideo exijt baiulans crucem. Ita & in typo factum est, Isaac etiam ligna portauit: Sed tunc quidem usque ad patris beneplacitum processit: nunc autem in rebus effectum obtinuit, quia ueritas erat.

Idem ex Theophylacto: Sed quodammodo, ut illic Isaac (unicus hæres) dimissus est, & mactatus est aries, sic & hic est suo modo natura diuina dimissa, ut maneret impassibilis per se. Sed humanitas, secundum quam aries dici potest, hic mactata est.

Idem ex Chrysostomo: Sicut uictores, ita & ipse in humeris portauit uictoriæ signum. Quidam autem dicunt, quod in illo loco, qui dicitur Caluaria, Adam mortuus sit & sepultus, ut ubi mors regnauit Christus quoque illic nunc trophæum statueret, & uitam sublata morte redderet.

Idem citante Thoma: Aquinate habent, & Athanasius et Beda alijque, sed sic diuersum contra hanc opinionem, citante eodem Thoma, Hieronymus ait: Ista est fauorabilis interpretatio, & mulcens aures populi: nec tamen uera. Extra urbem enim & foris portam, loca sunt, in quibus truncantur capita
damna

damnatorum, & inde nomen est, quod ibi sint caluarie decollatorum. Adam uero sepultum esse iuxta Ebron & Arbee, in Iesu filij Naue, uolumine legimus. Sed tradunt alij, quod in hoc monte sit pro Isaac oblatus Aries, & ibi est decaluatus Christus, id est, carne sua a carnali Iudaea separatus. Sed precipua est causa, Propterea est ibi Christus crucifixus, ut ubi prius erat area damnatorum, ibi exigerentur, uexilla martyrij, &c. Hanc rationem etiam Beda dat.

Idem ex Augustino: In portanda cruce impletum est illud, Esaiæ principatus eius super humerum eius. Principatus Christi, crux eius fuit, propter quam secundum Apostolum, Dominus ipsum exaltauit: Et sicut in signum dignitatis, alij balthcum, alij mitram portant: sic & Dominus crucem: Tetsi inquiras, inuenies non aliter in nobis regnare Iesum, nisi per asperitates, quò fit ut plerunq; delitiosa sint, inimici crucis Christi.

Idem ex Ambrosio: Christus ergo crucem baiulans iam trophæum suum uictor attollit: crux super humeros imponitur, quam siue Simon siue ipse portauerit, & Christus in homine, & homo portauit in Christo. Nec discordant Euangelistæ, quia concordat mysterium: Et bonis ordo nostri profectus est, ut prius ipse suæ crucis trophæa erigeret, deinde martyribus traderet erigendum. Nam Iudæus est qui crucem portat, sed alienigena atque peregrinus

nec præcedit sed sequitur iuxta hoc quod scriptum est, Tollat crucem suam & sequatur me, &c

Idem ex Beda: Simon obediens Cirence hæres interpretatur, unde per eum populi gentium designantur, qui quondam peregrini et hospites testamentorum Dei, nunc uerò obediens & proximi, quasi incolæ facti sunt ideoq; hæredes Dei & cohæredes Christi per ipsum. De uilla egrediens crucem cogitur portare post Iesum, quia Paganis (& rusticis idolatriusq;) ritibus relictis, illustratus Spiritus sanctus dominicæ passionis uestigia ingredi satagit & amplectitur: Villa enim græcè pagos uocatur, à quo pagani nomen habet. Multa quidem turba crucem Domini sed non una eademq; mente sequebatur: Populus qui eius mortem impetrauerat ut morientem letus aspiceret: Mulieres ut morientem plorarent, &c.

Idem ex Theophylacto: Per hoc quod multa turba sequebatur, significabatur, quod multitudo magna Iudæorum esset post crucem itura credens in Christum: sed & mens infirma significatur per feminam, si sumpta cordis contritione per poenitentiam fleat, sequitur Iesum propter nostram salutem afflictum.

Idem ex Beda: Iesu resurrectio mortem soluere potest, cuius mors & omnem mortem & ipsum mortis destructura est autorem.

Idem ex eodem: Si hoc fit in ligno uiridi quid tum
in

in arido fiet, quasi omnibus diceret, Si ego qui peccatum non feci, lignum uitæ appellatus sine igne passionis à mundo non exeo, quid putatis eos manere tormenti, qui sunt fructibus uacui & aridi?

Idem ex eodem: Foris portam loca erant, in quibus truncabantur capita damnatorum, inde Caluarie id est decollatorum sumpsit nomen, Ad hunc locum progressus est Iesus, ut pro omnium salute quasi noxius inter noxios crucifigatur, ut ubi abundauit peccatum, ibi superabundet gratia, & c. posteriora uerba Beda ex Hieronymo refert.

Idem ex Gregorio: Christus se lignum uiride & nos lignum aride dixit, quia ipse in se uim diuinitatis habuit, nos uerò qui puri homines sumus lignum aridum appellamur.

Idem ex Eusebio: Dei uerbum Christus uolens ostendere instrumentum, quo usus est ad humanam salutem, esse præualens morti, mortale morti exposuit ad demonstrandam ipsius naturam, deinde post modicum, illud à morte eripuit in signum diuinæ uirtutis, Et prima quidem causa mortis Christi hæc est: Secunda uerò est diuinæ potestatis ostensio inhabitantis corpus Christi. Cum enim antiquitus deificarent homines communem exitum sortitos, quos Herodas & diuos nominabant, deicit illum solum mortuum, uerum Deum fatendum, quem braua uictoriae morte prostrata decorant: tertia ratio est uictima pro toto genere hominum mactanda, qua oblata

tota

58 IN PASSIONE CHRISTI,

tota potestas demonium perijt & error quilibet se-
datus est.

Idem ex Hieronymo: In crucifixione figuratur
salus: lignum primum, lignum scientiæ boni & ma-
li fuit: Secundum lignum boni tantum nobis & ui-
tæ lignum est: Extensio manus primæ (in Eua) mor-
tem apprehendit, Extensio secundæ (in Christo) ui-
tam quæ perierat, inuenit in ligno: Ligno hoc ue-
himur per mare undosum ad terram uiuentium. Cru-
ce enim sua Christus cruciatum nostrum absoluit &
morte sua mortem necauit: cum forma serpentis ser-
pentem necat, quia serpente de uirga (Moysis) facto
absorbentur alij serpentes, &c.

Idem ex Augustino: Quantum ualeat uirtus cru-
cis Christi aduertat sanctitas uestra: Contempsit A-
dam præceptum accipiens ex arbore pomum, sed
quicquid Adam perdidit, Christus in cruce inuenit.

Idem ex Hilario: Sic nunc in ligno uitæ cuncto-
rum salus & uita suspenditur.

Idem ex Chrysostomo: Ideo in excelsio ligno &
non sub tecto passus est, ut etiam ipsius aëris natura
(foedata) mundetur. Sed & terra simile beneficium
sentiebat decurrentis de latere sanguinis stillatione
mundata.

Idem ex Chrysostomo: Non autem sui mortem,
quam non habebat cum sit uita, sed hominum, uenit
consumpturus saluator. Vnde non propria morte
corpus deposuit, sed ab hominibus illam sustinuit, sed
etsi

etsi egrotauisset corpus eius, et in conspectu omnium solueretur, tamen inconueniens erat eum, qui sanaret aliorum languores, habere proprium corpus, subiectum & affectum languoribus: sed etsi quoq; absq; morbo seorsum alicubi corpus deposuisset, ac deinde rursus se offerret, non crederetur ei de resurrectione referenti. Oportuit igitur mortem precedere resurrectionem: Cur ergo palam resurrectionem quidem predicaret, clanculo uero moreretur: mirum si latenter hæc euenisset, quot excogitarent homines increduli calumnias: quomodo tunc pateret in mortem uictoria Christi, nisi coram omnibus eam patiens per incorruptionem corporis probasset extinctam. Sed dices: Decebat saltem gloriosam sibi mortem excogitare ut deuitaret ignominiam crucis: sed etsi hoc fecisset, suspectum se reddidisset quasi non habens uirtutem contra quamlibet mortem. Sicut ergo pugil prosternens illum, quem hostes obtulerunt, ostenditur excellentior omnibus, Sic Christus omnium uita, mortem ab hostibus illatam, quam isti putabant esse diram & infamem & detestabilem in cruce suscepit, ut hac interempta dominum & uis mortis totaliter destruat, propter quod ei non caput amputatur, ut Ioanni, nec secutus est ut Isaias, ut corpus integrum & indiuisibile morti seruet, & non fiat occasio uolentibus Ecclesiam diuidere. Volebat enim supportare, & in se transferre maledictionem, quam nos incurramus, secundum illud, Maledictus omnis, qui

F pendet

pendet in ligno: In cruce etiam expansis manibus moritur, ut altera quidem manu ueterem populum, altera eos, qui sunt ex gentibus, trahat, utrosque coniungens: Moriens etiam à demonibus aërem expurgat & expiat, & ascensum nobis parat in coelum.

Idem ex Theophylacto: Per lignum mors intraverat, necesse erat, ut per lignum exterminaretur: Et ut Dominus per ligni dolores inuictus, transiens confutaret delectationem (primis aperientibus) prouenientem ex ligno.

Idem ex Augustino: Non frustra tale genus mortis elegit Christus, ut latitudinis & altitudinis, & longitudinis & profunditatis, de quibus Apostolus loquitur, magister existeret. Nam latitudo est in eo ligno, quòd transuersum desuper figitur, hoc ad bona opera pertinet, quia ibi extenditur manus. Longitudo in eo, quòd ab ipso ligno usque ad terram, prospicuum est, ibi quodammodo statur, id est, persistitur & perseueratur, quòd longanimitati tribuitur. Altitudo est in ea ligni parte, quæ ab illo, quòd transuersum figitur, sursum uersus relinquitur, hoc est, ad caput crucifixi, quòd bene sperantium superna expectatio est: iam uerò illud ex ligno, quòd fixum occultatur, unde totum illud exurget, profunditatem significat gratuita gratiæ, &c.

Idem ex Ambrosio: Refert considerare, qualis crucem ascendat: nudum etenim uideo: talis ergo ascendat, qui seculum uincere parat, ut seculi adiuu-

ta non

ta non quærat. Victus est Adam, qui uestimenta
quæsiuit: uicit ille, qui uestimenta deposuit, & talis
ascendit, quales nos autore Deo natura formauit: ta-
lis primus homo in paradyso habitauerat, talis in
paradysum secundus homo intrauit. Pulchrè autem
ascensurus crucem, regalia uestimenta deposuit, ut
scias quasi hominem passum esse, non quasi Deum re-
gem, etsi utrumque Christus.

Idem ex Athanasio: Qui enim cunctas condi-
tiones nostras causa nostri suscepit, induit uestimen-
ta nostra, signa mortalitatis, & mortificationis A-
diæ, ut exuat ipsa, & horum uice induat, nos uitam
& incorruptionem.

Euthymius super Ioannem: O insensatus Pila-
tus gloriatur, se potestatem habere Christum absol-
uendi, & cum sciat, ipsum immunem à crimine (quod
testimonium de eo aliquoties perhibet) interim non
absoluit? Christus respondet, nihil contra se posse Pi-
latum, nisi ei cœlitus & diuinitus esset datum, signifi-
cans se diuina quadam dispensatione pati, interim ut
mollem non planè absoluit à peccato Pilatum Chri-
stus: Aduersarij mentiuntur, Christum fuisse hostem
& aduersarium Cæsaris regem nouum, sed ubi obse-
ro hoc ostendit, qui fugit regnum, unde hoc uos Iu-
dæi potestis ostendere? à purpura? à diademate? ab
habitu? alio ue externo apparatu aut insignibus? an
non omnia abiectiois erant plena, siue alimentum,
siue indumenta, siue domum ac conuersationem spe-



Et es? circumiuit cum discipulis humilibus & abie-
ctis ijsq; paucis, interdum etiam solus. Interim isti
repellentes Iesu Christi regnum, eligunt Cæsaris pote-
statem, ideo diuina protectione & uisitatione sunt nu-
dati, & ad internitionem traditi ipso quoque Paschæ
die: ideo instant, ut crucifigatur Christus, qui fere-
bat crucem in humeris, tanquam strenuus miles lan-
ceam, qua deiecturus est aduersarium, & crucifigi-
tur inter latrones: ideo nunc consideremus totum
Saluatoris corpus iniurijs affectum: Caput per spi-
neam coronam & arundinis percussione, pugnasq;
faciem per sputa, maxillas per alapas, os uerò per
fel & acetum, aures per blasphemias, collum per
colaphos, dorsum & pectus flagellis & uerberibus,
manus autem & pedes clauis, latus uerò lancea: cæte-
ras quoque partes chlamyde ac nuditate, & ut semel
dicam, totum corpus, quòd in cruce spectaculo fuit
expositum. Quando ergo blasphemie nobis inge-
runtur, aut contumelia afficimur, hæc considerantes,
omnem abijciamus ab anima tumoris flammam,
cogitantes simul, quod ipse quidem Deus erat, nos au-
tem homines, ipse Dominus, nos autem serui, ipse sine
peccato, nos autem peccatores, ipse à seruis patieba-
tur, nos autem à conseruis: ipse propter nos, nos ue-
rò propter nos ipsos, ipse quidem spectantibus iu-
deis, Romanis & Græcis, nos uerò coram paucis,
etsi coram pluribus, at non tam multis, &c.

Cyrillus ad Reginas: Vide oro, & hoc loco fa-
ctam

Etiam mundo salutarem Christi mortem. Factus est enim pro nobis maledictum, crucem ferens & pendens in ligno, ut soluat peccatum mundi, & in gentes ueniat benedictio Abrahamæ per Christum Iesum, hoc est, ut iustificentur gratis gentes per fidem secundum promissionem Abrahamæ datam. Quando & maledictionem, quæ in lege est, soluit mors Christi, & conciliauit gentibus benedictionem Abrahamæ, hoc est per fidem gratiam, & participes etiam sancti Spiritus fecit, num hominis communis intelligitur mors eius. Considerare autem oportet magis, quod uerbum caro factum, carne passum est pro mundo, & facta est sufficiens eius mors pro mundi uita. Item. Quia propter et Iesus, ut sanctificaret per proprium sanguinem populum, extra portam passus est. Quomodo sanguis communis hominis sanctos nos efficeret? sed sanctificauit sanguis Christi. Deus igitur, & non simpliciter homo, Deus enim erat in carne, suo sanguine nos purificans.

Idem ibidem: Non factus est unus pretium pro omnibus, si qui esset homo simpliciter. At si intelligatur Deus incarnatus, et carne propria passus: parua est erga ipsum omnis creatura, & sufficit ad redemptionem mundi, unius carnis mors in Christo.

Item idem in Epistola: Quoniam mors illius mundo salutaris erat, pudore contempto crucem pertulit, licet natura uita esset & Deus. Quomodo igitur uita mortua esse dicitur? Mortem uidelicet in

propria carne passa, ut illam uitæ restituendo, uita esse manifestaretur.

Basilus in epistol. Genitus per mulierem est Christus, ut genitos regeneraret. Crucifixus est uolens, ut inuitè crucifixos detraheret: Mortuus est uolens, ut inuoluntariè mortuos exuscitaret, suscepit, quam non suscipiebat, mortem, ut eos, qui sub morte sunt, uiuificaret. Deuorauit ipsum mors ignorans, ubi deuorasset cognouit quem non deuorauit: Deuorauit uitam, uita est deuorata. Deuorauit unum cum omnibus, perdidit propter unis omnes: Rapuit ut Leo, et cōfracti sunt dentes ipsius. Quapropter etiā uelut debilis contemnitur. Non enim amplius mortē uelut Leonem timemus, sed uelut pellem conculcamus.

Ambrosius in sermonibus: Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto ita exaltari oportuit filium hominis. Vnde si affixus serpens ligno filijs israel contulit sanitatem, quantò magis salutem præstat populis Dominus in patibulo crucifixus? Etsi figura tantum profuit, quantum prodesse credimus ueritatem? Serpens igitur primus crucifigitur. Rectè planè, ut quia primus apud Deum peccauerat diabolus, primus crucis sententia feriretur. In ligno enim crucifigitur: Rationaliter factum, ut quia homo in paradiso per arborem concupiscentiæ deceptus erat, nunc idem per arborem ligni saluaretur, atque eadem materia, quæ causa mortis fuerat, esset remedium sanitatis: deinde post serpentem in saluatore homo

homo crucifigitur scilicet, ut post autorem puniatur
 & facinus: per primam enim crucem uindicatum
 est in serpentem, per secundam in uenena serpentis,
 hoc est, primum autor ipse punitur, deinde eius ma-
 lignitas condemnatur. Habentes igitur Dominum
 Iesum, qui nos passione sua liberauit, in ipsum auspi-
 ciamus semper fide, & ex ipsius signo speremus no-
 stris uulneribus medicinam.

Cyrillus super Ioannem: Sicut Moyses exaltauit
 serpentem in deserto, ita oportet exaltari filium ho-
 minis. At uero cum per huiusmodi exaltationem in
 cruce eiectus sit princeps foras, constat omnibus, per
 crucis uexillum deuictas esse à Christo daemónicas
 cohortes, ut sicut per lignum uicerat serpens antiquus
 primum Adamum, unde in omnes transiuit mors, ita
 quoque per lignum idem uinceretur à secundo Ada-
 mo (Christo) unde nobis profluxit uita omnis &
 gratia. Hinc factum est, ut in laqueo suo sit compre-
 hensus (primus) peccator & suis, ut aiunt, telis con-
 fossus. Item, sanè hæc crux ipsa est funda, qua Da-
 uid Goliath strauit humi, licet armis horrendum &
 uisu formidabilem. Hæc est signum Thau signatum
 in frontibus uirorum gementium, quo muniti ab in-
 teritu erepti sunt cæteris omnibus interfici iussis: I-
 psa est illud signum, quo angelus Domini signauit ser-
 uos Dei in frontibus eorum, ne inferretur illis exi-
 tium aut pernities: Item ferrum fundo aquæ demer-
 sum Heliseus immisso ligno ad supremam aquæ par-

66 IN PASSIONE CHRISTI,

tem natans eduxit, Nos ad una barathri deprehensos, crux sancta subuexit ad astra. Hæc est lignum uitæ, quod in medio paradysi plantatum esse scriptura commemorat, quia ab ipsa uiuifica nobis & uitalis medicina processit: Hæc est arca Noë, per quam saluamur à diluuiio inuidentis aquæ uitiorum & incolumes seruamur. Hæc est schola iacob, à terra in coelum porrecta, cui Dominus innixus est, per quam nobis coelestia regna conscendere datur. Hæc designata fuit per ligna, quæ humeris suis tulit Isaac, cum immolandus erat in holocaustum. Nam CHRISTI humeris crux baiulata, totius mundi in se tulit pretium. Hæc postibus & super liminaribus domorum Israëlitarum figurata describitur, quæ sanguine agni delibuta, exterminatorem primogenitorum Aegypti, ne ingrederetur, propulerunt. Hæc est uirga Mosaica, quæ mare rubrum percutiens diuisit aquas & traducto Dei populo, regem Aegyptum cum toto equitatum submersit: Hæc eadem bis silicem percutiens, aquam largo luxu eduxit: ipsa itidem lignum est quod fluuiio Marath immissum, amaritudinem aquæ in dulcedinem conuertit: ipsius figuram atque formam manibus extentis referens Moyses, superbum Amalech pugnam cientem atque in populum Dei ductantem exercitum, oratione ad Deum facta uicit. Denique ipsa lignum illud, quo in deserto suspensus serpens æneus, omnibus ipsum conspicientibus sanitatem à mor-
 su serpen

su serpentum reddidit. Nam quisquis oculos animi Christum cruci affixum conuerterit ab omni uulnere peccati ilico curabitur. Per ipsam denique crucem reddita est salus humano generi, facta est redemptio nostra & reconciliatio. Per ipsam allata est nostro medicina dolori, data est fortitudo & robur homini, ut hac lorica obtectus & galea, intrepidus ineat certamen cum hoste, quem Dominus noster crucis salutiferæ beneficio foras eiecit, profligauit omnino & penitus attriuit.

Ambrosius in sermonibus: Grande crucis est sacramentum, & si intelligamus, per hoc signum etiam mundus ipse saluatur. Nam cum è nautis scinditur mare, prius ab ipsis arbor erigitur, uelum distenditur, ut cruce Domini facta, aquarum fluentia rumpantur & hoc Dominico securi signo, portum salutis petunt, periculum mortis euadunt. Figura enim Sacramenti quædam est uelum suspensum arbore quasi CHRISTVS sit exaltatus in cruce, atque ideo confidentia de mysterio ueniente, homines uentorum procellas negligunt, peregrinationis uota suscipiunt. Sicut enim Ecclesia sine cruce stare non potest: ita & sine arbore nauis infirma est. Statim enim diabolus inquietat & illam uentus alidit. At ubi signum crucis erigitur, statim & diaboli iniquitas repellitur, & uentorum procella sopitur.

Bernhardus super cantica: Quis cognouit sensum

F S Domini

68 IN PASSIONE CHRISTI,

Domini, aut quis consiliarius eius fuit? at clavis reserans clauum penetrans factus est mihi, ut uideam uoluntatem Domini. Quid ni uideam per foramen? Clamat clauus, clamat uulnus, quod uere Deus sit in Christo mundum reconcilians sibi. Ferrum pertransiuit animam eius, & appropinquauit cor illius, ut non iam, non sciat, compati infirmitatibus meis. Patet arcanum cordis per foramina corporis, patet magnum illud pietatis sacramentum, patent uiscera misericordiae Dei nostri, in quibus uisitauit nos, oriens ex alto. Quid ni uiscera per uulnera pateant? In quo enim clarius, quam in uulneribus tuis eluxisset, quod tu Domine suauis & mitis, & multae misericordiae. Item: Quid tam efficax ad curanda conscientiae uulnera, nec non ad purgandam mentis aciem, quam Christi uulnerum sedula recordatio.

Augustinus in soliloquio: Domine Iesu, creatura sum tua, iam perij, creatura tua sum, iam morior, factura tua sum, iam ad nihilum redigor, plasma tuum sum, manus tuae Domine me fecerunt, & plasmauerunt me, manus inquam istae, quae affixae clauis sunt pro me. Opus manuum tuarum precor, ut aspicias. Ecce in manibus tuis DOMINE DEVS scripsisti me, lege ipsam scripturam in manibus tuis & salua me. En ad te suspiro creatura tua, creator es, recrea me: En ad te clamo factura tua, uita es, uiuifica me.

Idem in manuali: Clauis & lancea Christi clamant

mant mihi, quod uerè reconciliatus sum Domino, si
 eum amauero. Item: Extendit brachia sua in cruce,
 & manus suas expandit, paratus in amplexus pec-
 catorum: Inter brachia Saluatoris mei uolo uiuere,
 & mori cupio: Ibi securus decantabo, Exaltabo te
 Domine, quoniam suscepisti me.

Idem in Meditatio: Ego gulæ parui, tu Domine
 Iesu inedia afficeris: Me ad illicitam concupiscenti-
 am rapuit arbor, te perfecta charitas duxit ad cruce-
 cem: Ego præsumpsi uetitum, tu subiisti aculeum, ego
 delector cibo, tu laboras patibulo, ego fruor delitijs,
 tu laniaris clauis, ego pomi dulcedinem, tu fellis gu-
 stas amaritudinem.

Bonauentura ex Augustino in soliloquio: Sub
 persona Christi loquitur, Cum inimicus esses, te Pa-
 tri reconciliaui, cum longè esses, ueni ut te reducerem,
 cum inter montes & syluas errares, quæsiui te homo,
 inter lapides & ligna inueni te, in humeris portau-
 i te, patri meo reddidi te, laboraui, sudauit, caput meum
 spinis exposui, manus meas clauis obieci, latus meum
 lancea aperire permisi, sanguinem meum pro te effu-
 di. Tot & quæ non dicam, iniurijs & asperitatibus
 laceratus sum propter te, sed heu, te diuidis propter
 peccatum tuum à me.

Idem ex Bernhardo: Totam tu illi uitam debes,
 qui uitam suam pro te in cruce deposuit, & crucia-
 tus diros sustinuit, ne & tu æternos cruciatus susti-
 neres. Quid iam tibi durum anima esse poterit, cum
 recordata

70 IN PASSIONE CHRISTI,

recordata fueris, quòd ille speciosus forma Dei pro te uoluit crucifigi? O quàm indebita miseratio, quàm inopinata dilectio, quàm stupenda dulcedo, regem gloriæ pro despectissimo uermiculo crucifigi? O quàm dulcis est tibi amicus, ô quàm fortis auxiliator, ô quàm prudens est ille consiliarius?

Idem ex Hugone: Ecce Christus deposuit uestimenta sua, ut tibi uestimenta uirtutum daret, quibus nuditatem tuam tegeres, & te adornares. Item uide quibus brachijs à te sit, ô anima Christus amplexandus, quibus labijs deosculandus, qui te tanti estimauit, ut te tuo sanguine mundaret, & propter te somnum mortis exciperet.

Thomas de Kempis in libro Vallis liliorum cap. 12. Quando grauaris & tentaris, aut infirmaris, recurre ô anima citò ad orationis scutum, & sanctæ crucis uexillum, & in sanctorum uulnerum Christi fixuris, quære uitiorum tuorum salutiferam medicinam, per deuotam orationem, & seriosam passionis eius recordationem. Pondera tu S. crucis magnitudinem, longitudinem & altitudinem, in qua Iesus Christus, pependit nudus diris clauis, pro te confixus: Numera attentè, quàm multæ acutæ spinæ in corona Domini fuerunt, quomodo sanctum uerticem capitis filij Dei tam acriter punxerunt, & largissime cruentare fecerunt. Pone hæc & cætera arma passionis Iesu Christi, iuxta te pro bona custodia diei ac noctis, ne inuidus hostis diabolus inueniat te uacuum à diuini

nis

nis imaginationibus, & inquinet cor tuum sordidis
urticis, &c.

Idem in sermonibus, O dulcissima & amantissima
cruce Domini mei Iesu Christi, foris nimis tristis &
amara, sed intus diuina dulcedine plena, ô arbor de-
cora & fulgida membris Christi tanquam pretiosis
margaritis ornata? O uitis fœcunda, duris clauis in
cruce perforata? ô oliua speciosa sanguine Christi co-
lorata? Aquam lateris Christi sanctificata? ô li-
gnum uitæ portans, regem gloriæ pro mundi salute?
O cruce scutum inexpugnabile, uexillum regis incom-
parabile, signum salutis admirabile, in titulo capitis
habens scriptum tale, Iesus Nazarenus Rex Iudæo-
rum. Salue Iesu Nazarene, laus Angelorum, uita bea-
torum, uenia peccatorum, salus omnium populorum.
O cruce tu fructibus æternæ salutis exuperas (scili-
cet in Christo) tu super aromata redoles. Item. O
cruce arbor speciosissima super omnia ligna sylvarum
benedicta, tu Cedro altior, palma latior, cupres-
so adorator, oliua pinguior, balsamo nobili-
or, uite fœcundior, ficu dulcior, buxo uiri-
dior, quercu fortior, rosa pulchior, lilijs candi-
dior. Item: Laudat mundus amatores suos, mi-
lites fortes, & barones, qui pro patria et ciuibus
suis bellârunt, ac periculis multis se exposuerunt,
& commune bonum, omnibus priuatis & pro-
prijs prætulerunt, quantò magis Christus est lau-
dandus & amandus, qui pro omnibus nobis cruce
cifixus

72 IN PASSIONE CHRISTI,

cifixus est & mortuus, ut in aeternum uiueremus, & cum eo in caelis regnaremus, &c.

Drogo: Bonauentura, Gabriel Biel, atque Lupoldus: Christus coram omnibus nudari non horruit, ne nos nudi coram Deo inueniremur. Confusionem sustinuit, ut conscientiae nostrae reatum tegeret. Beatus etenim cuius tecta sunt peccata. Altissimam igitur hic Christus in seipso paupertatem ostendit: Haec etenim, ut Paulus ait, quamuis cum diues esset, propter nos egenus factus sit, descendensque ab inenarrabilibus caeli diuitijs, ueniens in mundum, istas qualescunque diuitias habere recusauerit, tamen matris, uirginis, & aliorum ministeria non spreuit. Nam ab eis passus est & pannis amictus, & quamuis tunc filius hominis non haberet, ubi caput suum reclinaret, usum tamen praesepis, in quo deposuit eum mater, & hospitium Marthae atque aliorum non spreuit. Nunc uero in cruce altissima paupertate premitur, non permittitur ei ministrare mater, imò pro potu & cibo sitienti fel & myrrha offertur, omne capitis reclinatorium tollitur, ab omni tugurio, domo & ciuitate probrose amouetur imò expellitur eijciturque: sub dio crucifigitur, nullius pannis tegitur, uestibus etiam proprijs nudatur: Sic extrema inedia Christus conficitur, huic non solum rerum proprietates adimitur, sed omnis etiam necessarius rei usus negatur, nisi diuitias reputare uelimus, quod sola crux acerbissima assignatur. Nunquam sane & nusquam talem paupertatem

perstatem legimus nec Lazarum quidem ulcerosum illum, cui etsi defuerunt, humana obsequia, lingeant tamen canes eius uulnera: Etsi non dantur Lazaro aliena, non tamen sua illa ipsi auferebantur pannosa uestimenta. Ideo cogitemus, quantum dolorem Christo hæc explicatio uestimentorum attulerit, nemo facile explicabit, &c. Hæc ex illis quatuor scriptoribus collecta sunt, imprimis ex Gabriele Biel.

Raimundus: Multa quidem Christus passus est in carne, sed in ipsa crucifixione uentum est ad intimam medullam & superficiem dolorum: Ibi examinati sunt nerui & ossa extensione: Et sanè non est paruus dolor in tortura, quando dolore nimio & intentissimo nerui & uenæ disjungantur & ossa separentur, ut pijsimo Christo in manibus & pedibus factum est: Sic uoluit mederi nostris uitiosis actibus atque peccatis, quoniam reuera non fuit in nobis ulla sanitas à planta pedis usque ad uerticem capitis, idq; tam internè quàm externè, ideo oportebat, ut Christus omnibus pœnis obijceretur. Extendit itaque brachia ut indicaret, quòd omnia hæc uoluntariè & ex mera charitate sustineret: Pedes etiam fodicari & cruci affigi permisit, ut ostenderet se non cessaturum, donec planè pro nobis nostroq; reatu satisfactum esset: Ecce totum corpus offert in holocaustum Deo, ut ipsum nobis reconciliet patrem nosq; etiam doceret omnia nostra membra offerre Deo, &c.

Rabanus:

74 IN PASSIONE CHRISTI,

Rabanus: Ecce filius Dei & Dominus dominantium expansis manibus suis speciem restaurantis honorandam ostendit, & certe hunc unum pastorem grex sacer Ecclesie iustum colit, & in eo modo, quo in cruce sua membra fatigari permisit, rite omnis populi probant redemptionem. Hoc quoque ego indignus agnoscens pro modulo meo omnium summorum culmen adoro Dominum Iesum: Hic in cruce positus caeleste regnum suis concessit fidelibus. Qui filius est patris aeterni idem damnatus est ad poenam ligni, Hic ut saluaret genus humanum, ad crucem uenit aeternis conditor Christus. O tu sancta salus & lata passio Christi salue.

Idem Gentilis uiri Pilati uxor hoc in uisione intellexit, quod Iudaei uigilantes uidere noluerunt.

Gabriel Biel: In Pilato & uxore eius Christum iustum confitentibus praefiguratur gentilis populi futura confessio testimonium.

Ambrosius: Manus quidem Pilatus lauit, sed crimen non diluit: Iudex nec inuidiae nec timori cedere debuit, ut sanguinem innoxium effunderet, &c.

Anselmus: In die Palmarum habebant dignum imperio, quem populus nunc adiudicat patibulo, tunc imperio praeficiendus praedicatus, & modo morte turpissima condemnatur.

Bernhardus: Heu quam dulcissima sunt illa, Dicere nuper, Benedictus qui uenit in nomine Domini, & modo Tolle tolle, crucifige, Quam dissimilia sunt,

Rex

Rex Israël, filius Dauid, & nunc, Non habemus regem nisi Cæsarem, Quam dissimilia, rami uirentes et modo crux arida, item frondes & modo spinæ: cui prius prosternebantur uestimenta aliena, is nunc proprijs exuitur, &c.

Idem ex Ambrosio: Nudatur uestibus qui coelos stellis, terram floribus uestit, & qualis in paradyso primus Adam habitauit, talis in paradysum secundus Adam intrauit.

Reinhardus meritò conqueritur de Iudaico populo, sic: Popule meus quid feci tibi? in quo tibi molestus fui? Ego pro te flagellauit Aegyptum, & tu me flagellatum tradidisti: ego te paui Man in deserto, et tu me alapis & flagellis cecidisti: ego te potaui de petra, & tu me potasti aceto: ego pro te Chanaanæorum Reges occidi atq; percussi, & tu percussisti caput meum: ego tibi dedi sceptrum regale, et tu meo capiti spinam coronam: ego te exaltaui magna uirtute, & tu me suspendisti in patibulo crucis, &c. Item, Ecce nunc popule Christiane. Manus quæ coelum in scientia fundarunt & compeditos soluere nouerunt, elisos erigere, suisq; contactibus uniuersos sanare solebāt, in crucis patibulo distenduntur, Pedes quibus mare calcabile fecit, & pedes illi qui non steterunt in uia peccatorum, clauorum acumine perfodiuntur. Corpus purissimum, in quo thesaurus gratiæ habitabat, penitus denudatur, & durissimo ligno affigitur. Facies speciosa præ filijs hominum, quæ omnes afflictos

76 IN PASSIONE CHRISTI,

flictos consolabatur, in pallorem mortis commutatur. Quid uero commisisti dulcissime fili Dei, ut sic iudiceris? sic traeteris? Quod scelus tuum? quæ culpa tua? quæ causa doloris? Ego proh dolor, ego sum causa omnis doloris tui, Ego uuam acerbam comedi & dentes tui obstupuerunt, &c. Hæc posteriora sunt ex Augustino descripta.

Dionysius Carthusian. ex Bernh. Vide homo quæ pro te patiar, est etiam dolor maior, sicut in quo crucior? Ad te clamo, quia pro te morior, uide poenas, quibus afficio, uide clauos, quibus confodior, &c.

Ioannes Geiler: Adam primus homo ad lignum præuaricationis manus extendendo, & pedibus accedendo chyrographum damnationis nostræ diabolo consecerat: ideo saluator noster, ut chyrographum illud deleret, cruci quæ siue ligno iterum idoneè affigeret, uoluit is manibus ac pedibus ligno affigi.

Hugo: Primum peccatum commissum est in ligno uiridi, & nunc etiam in ligno arido peccatum expiauit Christus.

Augustinus: Adam inobedientes manus extendit ad lignum uetitum, ut gustaret pomum: Christus ut obediret Patri manus innocentes extendit in ligno crucis. In ligno uicerat hominem diabolus, nunc iterum per hominem diabolus in ligno uincitur.

Ecclesiæ quoque rectè canit: Qui salutem humani generis in ligno crucis constituisti, ut unde mors oriebatur, inde etiam uita resurgeret, &c.

AUGUSTINO

Augustinus: Nunc se in cruce Mediatorem inter nos & Patrem constituit.

Guilhelmus: Apertas habet manus, ut declaret nobis fore ad se facilem aditum. Pedes curat affigi, ut ostendat se non recessurum, nisi plane pro nobis persoluerit: Manum dexteram extendit, ut omnia bona det, Sinistram, ut mala auferat: Pedem dextrum affigi curat, ut pios in ueritate stabiliat, Sinistram ut uiam iniquitatis à nobis amoueat.

Augustinus & Lupoldus: Si quæris sapientiam, quid doctrina crucis sapientius? En tibi apertus est liber & fons uitæ, aperta sunt sacra signacula, Intuere & aspice, habet enim in se omnes thesauros sapientie & scientie: Si quæris diuitias, en sacrum pignus, quo à morte redemptus es, non auro, non argento, sed pretioso sanguine immaculati agni, accede, postula, diues enim est in omnes qui inuocant eum. Si mundi te premunt incommoda, fuge huc, tolle crucem tuam iugum Dominum suauissimum super te & inuenies requiem animæ tuæ. Si esuris, ecce panis uitæ in cruce moribundus. Si sitis, ecce fontem scaturientem aqua uiua, sed tua causa in cruce sitientem: Si iustus es, ecce hic habes unde iustificatus es, Si peccator es & ictu serpentis mortiferi uulneratus, ecce mysticum serpentem in ligno, intuere (per fidem) & sanaberis. Ipse ascendit in altum ut ab omnibus uideretur: alta uoce clamabat, ut ab omnibus audiretur, &c.

Augustinus, Ambrosius & Anselmus: Respice sancte pater de sanctuario tuo & intueri hanc omnium sacratissimam hostiam, quam tibi offert magnus pontifex noster tuus dilectus & sanctus Dominus noster Iesus Christus pro peccatis fratrum suorum, esto placabilis per ipsum super multitudine maliciae nostrae, ecce vox sanguinis fratris nostri clamat ad te de cruce, Ecce agnus sine macula qui coram condente se, obmutuit, Ecce qui peccatum non fecit, nostra peccata pertulit in ligno, Respice ergo Deus pater in faciem Christi tui, qui ad mortem usque tibi obediens fuit: nec recedant ab oculis tuis cicatrices uulnerum eius, ut memineris quantam satisfactionem pro peccatis nostris ab eo acceperis. Respice benignissime pater in eum qui patitur, & benignus recordare eius, pro quo patitur: aspice dilectae sobolis humanitatem dilectissime pater & miserere super infirmi plasmatis debilitatem, Aspice gratissime proles lacerata membra & memorare quae sit mea substantia, Aspice filij tui Dei & hominis poenam & reuela conditi hominis miseriam. Vide redemptoris supplicium & remitte redempti hominis peccatum.

Augustinus: Inspice uulnera Christi o homo in cruce pendentis, sanguinem morientis, pretium redimentis, cicatrices resurgentis, caput habet inclinatum ad osculandum, cor apertum ad diligendum, manus extensas ad amplectendum, totum corpus expositum ad redimendum.

Hugo

Hugo ex Bernharo & Augustino: O peccator magne, uide hostiam qua redemptus es, sanguinem, quo ablutus es, poenam, qua pro peccatis tuis satisfactum est in cruce, uincula Christi, quibus tu absolutus es: Vide uulnera & ligaturam manuum Iesu, quae ita soluerunt mala opera à tuis perpetrata manibus: Vide pedes & ipsorum affixionem qui quod tui pedes deliquerant inordinate ambulando, abstulerunt. Intuere Christum anima mea in hac forma pro te crucifixum, & certe nusquam est amabilior eius aspectus: Hic manus habet apertas ad largiendum, pedes affixos ad manendum, brachia extensa ad suscipiendum, caput inclinatum ad osculandum, &c.

SEQUUNTUR PATRVM SANCTORUM meditationes de titulo, de uerbis Christi in cruce prolatis, de impiorum conuitijs, denique de Iesu Christi morte atque lateris apertione.

Thomas ex Rabano: Quia Christus simul sacerdos & rex est, cum suae carnis hostiam in altari crucis offerret, regis quoque dignitatem titulus ostendit, qui non infra sed supra crucem positus est, quia licet in cruce pro nobis, hominis infirmitate dolebat, super crucem tamen regia maiestas fulgebat, quam per crucem non perdidit, sed potius confirmauit.

Idem ex Ambrosio: Merito super crucem ponitur titulus, quia non humani corporis sed potestatis diuinae est regnum, quod habet Christus. Lego titulum regis iudeorum cum lego causam Christi super caput eius scriptam, cum lego: Et Deus erat uerbum, caput autem Christi Deus.

Augustinus: Sicut Christus quae de regno suo disserat dicta manebant, sic quae Pilatus scripserat, scripta permanserunt.

Vestimentorum diuisionem uarie exponunt Doctores, alij de diuisione doctrinae, alij de Ecclesiae schismatibus, etc. Quae nunc in hoc instituto nostro omittimus.

Aquinas ex Leone: Duo latrones unus ad dexteram alius ad sinistram crucifiguntur, ut in ipsa patibuli specie monstraretur illa quae in iudicio ipsius, omnium hominum est facienda discretio. Passio autem Christi salutis nostrae continet sacramentum, et de instrumento, quod iniquitas iudeorum parauit ad poenam, potentia gradum fecit ad gloriam.

Idem ex Hieronymo: Cum iniquis ueritas deputata est, unum reliquit sinistram, alterum assumit dextram: Sicut in die iudicij facit et simili crimine tam dissimiles sortiuntur uias: Alter antecedit Petrum in paradysum, alter iudam in infernum. Confessio breuis uitam acquisiuit, et blasphemia finita poena plebitur aeterna.

Idem ex Beda: Mystice latrones qui cum Domino crucifixi sunt, significant eos, qui sub fide et confessione

sessione Christi uel agonem martyrij, uel quælibet ar-
tioris uitæ instituta subierunt: Sed qui hoc pro æ-
terna gloria gerunt, dexteri latronis fide designan-
tur: Qui uerò humanæ laudis intuitu, sinistri latro-
nis mentem & actus imitantur.

Idem ex Theophylacto: Inditium erant duo la-
trones duorum populorum scilicet Iudaici & genti-
lis: ambo namque iniqui. Gentilis quidem tanquam
legem naturalem prætergrediens: Iudaicus uerò scri-
ptam legem, quam ei tradiderat Dominus, sed gen-
tilis pœnitens, Iudaicus usque in finem blasphemus,
in quorum medio crucifigitur Dominus. Ipse enim
est lapis angularis nos coniungens.

Idem ex Chrysostomo: Hic fungitur uice Iudi-
cis condemnatus, & incipit de ueritate censere, qui
coram Pilato post multa tormenta confessus est scele-
ra: Quia aliud est homo censor, quem latent inti-
ma, & alius Deus, qui mentes penetrat: Et ibi qui-
dem post confessionem pœna sequitur, hic autem fit
confessio ad salutem: Hic etiam Christum pronun-
ciat innocētem, cum subdit: Hic autem nihil mali ges-
sit, quasi diceret, nouam uide iniuriam, honestatem
damnari cū scelere, nos uenientes occidimus, hic mor-
tuos suscitauit, nos aliena furati sumus, hic et sua iubet
tribuere. Beatus ergo latro astantes docebat talia dis-
serēs, quibus alter increpabat, sed ut uidit extinctos
auditus astantiū, redit consequenter ad eum qui nouit
præcordia. Ideo ait: Memēto mei cū ueneris in regnū

tuum. O latro, crucifixum aspicias, & Dominū profiteris? Condemnati uides figuram & Regis prædicas dignitatem? Mille malis inbutus, postulas iusticie fontem reminisci tuæ nequitie, sed dices: Video quidem apparens opprobrium, sed intueor latens regnum, & tu auertis mea publica scelera, & acceptas fidem occultæ intentionis, discipulum ueritatis usurpauit nequitia, discipulum nequitie non committauit ueritas.

Idem ex Græco Scholiaste: In cruce clauis manus eius pedesq; ligauerant, nihilq; à poenis in eo erat liberum, nisi cor & lingua remanserunt: Inspirante Deo totum ei obtulit, quod in se liberum inuenit, ut iuxta hoc quod scriptum est, corde crederet ad iustitiam, & ore confiteretur ad salutem. Tres autem uirtutes, quas Apostolus memorat, subito repletus gratia, & accepit latro, et seruauit in cruce: fidem namque habuit, regnaturum Deum credidit, quem secum pariter morientem uidit: spem habuit, quia regni eius aditum postulauit: charitatem quoq; uiuaciter in morte tenuit, quia fratrem & collatronem pro simili scelere morientem, de iniquitate sua redarguit.

Idem ex Ambrosio: Pulcherrimum datur affectande conuersionis exemplum, quod tam citò latroni uenia relaxatur, citò ei ignoscit Dominus, quia citò ille conuertitur, et uberior est gratia quàm precatio: semper enim Dominus plus tribuit quàm rogatur: ille rogabat ut memor sui esset, & de domino sequitur.

Amen

Amen dico tibi, hodie eris mecum in paradyso. Vita est enim esse cum Christo, et ubi Christus ibi regnum.

Idem ex Chrysostomo erat hic uidere saluatorem in medio latronum trutinam iustitiæ tenentem & trutinantem fidem & infidelitatem. Expulit Diabolus ex Paradyso Adam: Christus latronem impulit ante totum orbem & ante Apostolos: Nudo uerbo, sola fide in Paradysum introiuit, ne quis post errores de introitu desperaret. Attende celeritatem: à cruce in cœlos, à condemnatione ad Paradysum transfertur, ut noueris Dominum non ad beneuolentiam illius sed ad clementiam suam totum fecisse.

Augustinus lib. 2. de Symbolo: Christus pro impijs mortuus est, mox sacculum carnis suæ in crucis ligno persoluit & pretium nostrum exactori reddidit. Ibi statim fecit illum latronem, confessorem, ut per eum impiorum restauraret ruinam, uidentes redemptum, quem Diabolus possederat, homicidam. Videte Dominum uirtutum, & in ipsa morte miracula facientem. Tunc latro confitetur, quando Petrus turbabatur: tunc iste agnouit, quando ille negauit. Sed nunquid, quia Dominus acquisiuit latronem, Petrum perdidit negatorem? Absit, absit. Agebat mysterium qui fundebat pretium in Petro, demonstrans non in se quenquam iustum debere præsumere: in latrone, nullum impium conuersum posse perire. Timeat bonus ne pereat per superbiam: non desperet malus de multa malitia sua & c.

Chrysostomus rectè putat: Iudeos hoc unum
 quæsiſſe, dum Iesum in medio latronum crucifige-
 rent, ut ex loco turpissimo & genere mortis non so-
 lum notam infamiae inurerent Iesu, sed ad maiorem
 ignominiam in medio latronum duorum crucifigi cu-
 rant, ut sic nocens haberetur flagitiosorum consortio,
 uidereturq; esse crimen commune, quibus erat com-
 mune consortium, & ut fama undique spargeretur,
 tres latrones uno die Hierosolymis esse crucifixos.

Thomas ex Augustino: Si attendas ipsa crux tri-
 bunal fuit, in medio enim Iudice constituto, unus la-
 tro qui credidit, liberatus, alter qui insultauit, dam-
 natus est: iam significabat quid facturum esset de uiuis
 & mortuis, alios positurus ad dextram, alios ad
 sinistram.

Euthymius super Matth. Iudeorum opera fa-
 ctum est ut in medio aliorum maleficorum pendens
 & ipse maleficus putaretur, utq; participatio sup-
 plicij participem quoque prædicaret maleficij. Ob
 hoc siquidem cum cunctis uidentibus publicè cruceifi-
 xerunt. Dicit autem Lucas quod stabat populus spe-
 ctans, utque militum manibus crucifigeretur labo-
 rans & modis omnibus faciens ut praua de illo opi-
 nio apud omnes diffunderetur: Completa est his
 quoque Isaia prophetia, Et cum iniquis deputatus
 est. Duo uerò latrones duos populos ænigmaticè fi-
 gurarunt, ueterem scilicet ac nouum: horum ille blas-
 phemijs cum appetens mortuus est, hic autem Deum
 in fine

in fine cognouit: ipse uero medius inter hos pependit, utpote medius effectus inter uetus nouumque testamentum: Imò cum hostes conarentur ita Iesum traducere, en huius gloria in tantum splenduit, ut quum tres penderent, quando stupenda illa miracula facta sint, soli huic omnes illa adscripserint, tantumque absuit ut ipsorum participaret suspicionem ut potius alterum eorum ad suam fidem attraxerit & omne machinamentum in caput iudeorum conuersum sit.

Bernhardus in Meditat. O Christi pietas, inopinata erat salus miseri, sed tam est gratuita & probata Dei dilectio, tam inopinata Dei dignatio, tam stupenda dulcedo, tam inuicta mansuetudo, ut qui ad eum clamauerit, exaudiat eum quia misericors est. O quanta est misericordia Dei, quam ineffabilis est mutatio dextræ Ecclesiæ? Heri erat in tenebris latro, hodie in splendore lucis, heri in ore leonis, hodie in manu mediatoris: heri in porta inferni, hodie in delitijs paradysi, &c.

Athanasius citante Thoma Aquinate, sic ait de conuitijs impiorum: Descendat de cruce, &c. Dominus uerè saluator non saluando seipsum sed creaturam liberando, uolebat cognosci saluator, Neque enim medicus qui sibi medetur, medicus esse cognoscitur, nisi erga languidos artem probet, sic Dominus saluator existens non habebat opus salutis: neque descendendo de cruce uolebat cognosci saluator sed moriendo. Multo namque maiorem salutem mors

saluatoris

Saluatoris affert hominibus, quam descēsus de cruce.

Thomas ex Theoph. Transeuntes Christum blasphemabant & exprobrantes ei tanquam seductori. Diabolus autem mouebat illos ad dicendum, ut Christus de cruce descenderet, quia nouerat quod salus fiebat per crucem, rursus gerebat se ad tentandum Christum, ut si à cruce descenderet certus fieret, quod non est uerus filius Dei, & sic salus, quæ per crucem est, destrueretur. Sed ipse Dei filius uerus existens non descendit: Si enim descendere debuisset, non illuc à principio ascendisset, sed quia uidebat quod per hunc modum salutem fieri oportebat, sustinuit crucifigi & multa alia pati, & perficere opus suum.

Idem ex Hieronymo: Et uiderunt postea resurgentem de sepulchro, quem de crucis descendere non credebant posse patibulo. Vbi est ô iudæi infidelitas uestra? uos ipsos consulo, à uobis ipsis iudicium peto. Quantò mirabilius est mortuum posse resurgere, quam adhuc uiuum de cruce uelle descendere. Parua petiistis dum maiora prouenerint. Sed infidelitas uestra non potuit sanari signis multo fortioribus quàm modo petiistis. Sed hic omnes declinauerunt & inutiles facti sunt adeo ut ipsi cum Iesu crucifixi ei conuitiarentur.

Idem ex Rabano: Si autē nunc de cruce descenderet, uirtutē patientiæ nō demonstraret, sed expectauit paululum, irrisionē sustinuit, & qui de cruce descendere noluit, de sepulchro tertio die resurrexit.

Thomas

Thomas ex Chrysostomo: Quia filius Dei est, ideo non descendit de cruce. Nam ideo uenit, ut crucifigeretur pro nobis.

Idem ex Hieronymo: Nolentes etiam Scribæ & Pharisei confitentur, quod alios saluos fecerit. Itaq; ô indurati uestra uos condemnat sententia. Qui enim alios saluos fecit, utique si uellet, & seipsum saluare poterat: ideo fraudulenta est permissio, cum addunt, & credemus ei. Quid enim plus est, de cruce adhuc uiuentem descendere, an de sepulchro mortuum resurgere. Resurrexit, & non credidistis, ergo etiam, si de cruce descenderet, non crederetis, &c. Item ego credo (ait Hieronymus) hoc demones immittere, qui ut statim Iesus est crucifixus, senserunt uirtutem crucis, & intellexerunt fractas uires suas, ideo hoc nunc agunt per suos, ut de cruce descendat, sed Dominus sciens aduersariorum insidias, manet in patibulo, ut diabolum destruat.

Euthymius in Matth. Illi dicunt, confidit in Deum tanquam filius Dei, & seruetur ab eo: Hoc autem dicebant, non quod Deus eum seruare non posset, sed quod non esset ipse Dei filius, ut ipsi putabant. Sed ô scelesti et pessimi, hoc pacto nec prophetae erant prophetae Dei, aut iusti ex eo, quod Deus illos ex periculo non eripuit? Verum & prophetae & iusti erant, nec minus tamen periculis subiacerunt, secundum uariam dispensationem.

Aquinas ex Hilario: Ecclesie fides non parti-
tur le

tur Iesum Christum, ne filius Dei, non & filius hominis intelligatur. Nam querela derelicti, morientis infirmitas est: Promissio autem paradysi, uiuentis Dei regnum est. Habes eum conquerentem ad mortem relictum se esse, habes eum, qui moritur profitemem se in paradiso regnare, quia Deus est, &c. Non ergo mireris uerborum humilitatem, & querimonias derelicti, cum formam serui sciens scandalum crucis uideas.

Idem ex Glossa: Dicitur Deus eum deseruisse in morte, quia potestati persequentium exposuit eum, subtraxit enim protectionem, sed non soluit unionem.

Idem ex Rabano: Saluator hoc dixit nostros circumferens motus, qui in periculis positi, à Deo deseri nos putamus. Humana enim natura propter peccatum à Deo fuerat derelicta. Sed quia filius est factus noster aduocatus, quorum suscepit culpam, illorum deplorat miseriam: in quo ostendit quantum flere debeant qui peccant, quando sic fleuit qui nunquam peccauit.

Euthymius: Ita clamauit Christus moriens pro hominibus in persona generis humani, ut dicit Gregorius Theologus, quia in seipso figurat quod nostrum est. Nos siquidem primum derelicti eramus & despecti, deinde nunc assumpti & seruati sumus illius affectionibus, &c.

Chrysostomus: considera nunc uocem diaboli in filijs suis qui imitati sunt paternam ipsius uocem:

Diabolus

Diabolus dicebat, Si filius Dei es, mitte te deorsum. Iudæi dicunt, Si filius Dei es, descende de cruce & credemus tibi.

Leo Papa: De quo inuidiæ lacu talium blasphemantium uenena potastis? Quis uobis magister tradidit? Quæ doctrina persuasit, quod illum regem Israël, illum Dei filium credere deberetis, qui se crucifigi non sineret aut à confixione clauorum liberum excuteret? non uobis hæc legis mysteria, non paschatis obseruantie sacramenta, nec ulla unquam prophetarum oracula cecinerunt: Sed illud uere abundeque legistis, quod ad detestabilem uestri sceleris impietatem & ad uoluntariam Domini passionem pertinet, quia ipse per Esaiam loquitur, Dorsum meum dedi ad flagella, maxillas meas ad palmas, faciem meam non auerti à confusione sputorum: Et per Dauid, Dederunt mihi in escam meam fel et in siti mea potarunt me aceto: Et iterum, circumdederunt me canes multi.

Gregorius ex Ambrosio: Nihil enim nasci prodesset nisi redimi profuisset in Christo.

Ambrosius: O stulte & insane grex sacerdotum nunquid impossibile est ei de paruo stipite ligni descendere, qui descendit à caelorum altitudine? Nunquid tua uincula poterunt illum tenere, quem cæli non possunt capere? Non uenit ut se liberaret quia sub seruitute non erat, sed ut nos de seruitute redimeret.

Bernhardus: Res miranda, Iudæi clamant crucifige, sed Christus orat in cruce, ignosce, magna illorum ini-

rum ini-

90 IN PASSIONE CHRISTI,

rum iniquitas, sed maior tua ô Domine pietas.

Bonaventura Hugo & Lupoldus: O fons dulcoris quanta nobis patientiæ reliquisti exempla? nos terra & cinis in his quæ iuste patimur, ultionem petimus, tu occidentibus te uitam, persequentibus pacem, maledictionem imprecantibus benedictionem petis.

Dionysius Carthusianus: Non solum pro eis orauit sed etiam quantum potuit excusauit eorumq; crimina alleuauit & causam exaudibilitatis suæ orationis apposuit dicens, quia nesciunt quid faciunt, id est, ignorant quam grauer peccent, nec sciunt quis qualis & quantus sit quem occidunt.

Euthymius super Lucam: Quod in se quidem uoluntaria erat (patris uoluntas) propter nostram tamen salutem uoluntaria erat.

Bonaventura ex Bernhardo: Caput Christi angelicis tremendum spiritibus densitate spinarum pungitur, facies pulchra præ filiis hominum, sputis ludæorum deturpatur, oculi lucidiores sole caligantur in morte, aures quæ audiunt angelicos cantus, tunc audiebant peccatorum insultus. Os quod docet angelos, felle & aceto potatur, pedes quorum scabellum adoratur quoniam sanctum est, cruci clauis affiguntur, manus quæ formauerunt coelos, sunt in cruce extensæ & clauis affixæ, corpus uerberatur, latus lancea perforatur. Et quid plura? Non remanet in eo aliquid liberum nisi sola lingua ut pro peccatoribus

catoribus exoraret et matrem discipulo commenda-
ret. O fidelis anima noster saluator nullis aduersari-
um tentamentis potuit à nostræ salutis cura reuo-
cari.

Anselmus in stimulo amoris: O qualis est hic, qui
in omnibus pressuris suis nec os suum semel aperuit,
ut aut querelæ aut excusationis aut comminationis
aut maledicti uerbum aduersus maledictionis canes il-
los proferret, & nouissimè uerbum benedictionis,
quale non est auditum à seculo, super inimicos suos
effudit? Quid ergo est hoc uiro mansuetius ô anima
mea, quid benignius uidisti?

Hugo: Is, qui positus in passione pro sæuientibus
in ipsum hostibus iam iam moriturus orauit, qui la-
tronem promptè suscepit, & consolatus est, an du-
bitas te in tuis angustijs ipsum, quærentem, dereli-
ctum iri?

Glossa ordinaria: Martyres in manibus carni-
ficum reliquit, quos tamen charitate firmissima sibi
iunxit, interim derelicti non erant. Ideo quasi dereli-
ctus Iesus clamauit, quia ostendere uoluit ex clamore
supernaturali, quod ex maxima charitate tradiderit
nostræ salutis pretium.

Jordanus: Qui sitiuit naturaliter, dicens: in
cruce sitio: tamen magis spiritualiter sitiuit nostram
salutem.

Ambrosius in sermone de passione: Autor pietatis
in cruce pendens testamentum condidit, singulis

H

pietatis

92 IN PASSIONE CHRISTI,

pietatis opera distribuens. Apostolis persecutionem, iudæis corpus, patri spiritum, uirgini paronymum, latroni paradysum, peccatori infernum, Christianis pœnitentibus crucem.

Idem de fide: Christus fleuit, ne tu homo diu fletes, ille iniurias passus est, ne tu iniuriam tuam doleres. Grande est remedium, solatium habere de Christo. Ille pro nobis hæc patiens tulit, & summus, qui patienter hæc pro illius nomine ferre nequeamus? Quis appetitus non discat ignoscere, quando pro persecutionibus suis Christus orauit, iamq; crucifixus? Vides ne illas, quas tu putas Christi infirmitates, tuas esse uirtutes? Cur de remedijs nostris ei questionem mouemus? lachrymæ illæ nos lauant, fletus illi nos abluunt, ac dubitatio illa nos firmat, ne si tu ceperis dubitare, desperes. Quanto maior est iniuria, tanto uberius debetur gratia.

Thomas ex Augustino: Iam est illa hora, de qua Iesus dixit, aquam conuersurus in uinum, ad matrem. Quid mihi & tibi mulier, nondum uenit hora mea. Tunc enim diuina facturus non diuinitatis, sed infirmitatis matrem uelut incognitam repellebat: nunc autem humana iam patiens, ex qua factus fuerat homo, affectu commendabat humano. Moralis igitur insinuatur locus, & exemplo suo instruit præceptor bonus, ut à filijs pijs impendatur parentibus cura, tanquam lignum illud, ubi erant fixa membra morientis, etiam cathedra fuerit magistri docentis.

Idem

Idem ex Ambrosio: Mariam stetit ante crucem filij nullus me hoc docuit Euangelistarum, nisi sanctus Ioannes, Mundum alij concussum, in passione Domini conscripserunt, coelum tenebris obductum, refugisse solem, in paradysum latronem, sed post piam confessionem receptum: Ioannes docuit, quod alij non docuerunt, quemadmodum in cruce positus matrem appellauerit: Pluris putauit quod uictor suppliciorum, officia pietatis matri exhibebat, quam quod regnum coeleste donabatur uitae aeternae. Nam si religiosum est quod latroni donatur uita, multo uerberioris est pietatis, quod a filio mater tanto affectu honoratur, Ecce (ait) filius tuus, Ecce mater tua: testabatur de cruce Christus & inter matrem & discipulum diuidebat pietatis officia. Condebat Dominus non solum publicum sed et domesticum testamentum. Et mox. Sed nec Maria minor quam matrem Domini decebat, fugientibus Apostolis antecrucem Maria stabat & pijs spectabat oculis filij uulnera quae expectabat non in pignoris mortem sed mundi salutem, aut fortasse quod cognouerit per filij mortem mundi redemptionem, &c.

Reinhardus ex Ambrosio: Quid facit uirgo Maria in monte Caluariae? Ad quid stat sub cruce? Ideo sto sub cruce ut offerri uideam filium pro mundi salute, qui non eget adiutore ad omnium redemptionem. Suscipit matris affectus, sed non quaesuit hominis auxilium.

94 IN PASSIONE CHRISTI,

Idem ex Bernhardo: Christum cruci affixum uniuersus penè mundus dereliquerat, discipuli fugam dederunt, infirmi quos curauerat non comparuerunt Turbæ quas miraculosè pauerat procul steterunt & crucifixo insultarunt: Iudæi prætereuntes caput mouerunt & subsannarunt: milites tumultuantes uestimenta diuiserunt, amici procul stabant, sed stat iuxta crucem mater eius.

Damasenus. Sancta mater dolores, quos fugit parturiens, hos in Christi passione sustinuit: à materna compassione uiscerum lacerationem tolerans, dum quem Deum cognouit per natiuitatem, hunc maleficum uidit interfectum in passione.

Grabiell Biel ex Bernhardo: In toto humano corpore efficaciores sunt nunciij oculus & lingua, quæ utraque ad matrem membra dirigit, ut indicaret quod eam ipse gestaret (in corde) iam de mundo exiens, quæ illum suscepit corpore intrantem in mundum. Christus quamuis esset in immensis angustijs non tamen in hac hora matrem neglexit: & cum nullum amplius membrum haberet liberum exceptis oculis & lingua, de utroque tamen matri seruire dignatus est: Utraque matri intendit, adspiciendo scilicet & alloquendo, ut ei reuerentiam exhiberet atq; honorandos esse parentes eorumq; curam ad mortem usque habendam doceret. Moriens illam Christus inspicit, de qua corpus illud, in quo mori poterat, accepit.

Reinhard

Reinhardus ex Augustino: Cruciat te Domine Domine Iesu crux tua, sed non minus mater tua, cruciat te dolor tuus sed non minus dolor eius. Non est mirum si doles & condoles, si pateris & conpateris bone filii in consolationem matris & in separatione matris, in commendatione matris: nusquam te illa deseruit, non in infantia, non in adolescentia non in iuuentute, non in tua compassione. Nunquam defuit tibi eius solatium sed nec obsequium, sequitur prædicantem uidet & comitatur patientem, contemplatur opprobria, intuetur uulnera, audit tua uerba: Tu uero bone Iesu quanquam esset dolor intolerabilis, plaga insanabilis in agone mortis in ultimo spiritu constitutus, non obliuisceris matrem tuam, caput inclinans & eam discipulo in matrem commendas & eum sibi in filium adoptas, felix depositum, singulare priuilegium, insigne solatium.

Reinhardus ex Hieronymo: Christus, sitio, dicens in cruce: figur aliter sitiebat, quia per hanc sitim uoluit luxuriam appetitum et concupiscentiam Adæ uel peccatum gustus, quando is sumpsit de cibo uetito, soluere.

Thomas Aquinas ex Augustino, Propinator fontium potatur aceto, mellis dator cibatur felle, flagellatur remissio, condemnatur uenia, illuditur maiestas, uidetur uirtus, perfunditur largitor imbrium sputis, &c.

Bernhardus: Domine quid est quod sitis? an te
 H 3 sitis magis

96 IN PASSIONE CHRISTI,

sitis magis quam crux ipsa excruciat? De cruce tacet, ex siti clamas. Quæ ergo est sitis illa? Nonne sitiebas salutem nostrarum animarum, salutem hominum & gaudium nostrum?

Reinhardus ex Bernhardo: Quid sitis tu qui dixisti si quis sitit ueniat ad me & bibat, qui es fons uitæ? Sitio ô homo tuam salutem tuam redemptionem, &c.

Reinhardus: Cum diceret Iesus, consummatum est, uoluit subindicatum, quod iam esset repletum quicquid lex prophetæq; prædixerant, & sacrificiorum ritus, & ceremoniarum cultus designauerat: iam non solum repleta sunt oracula prophetarum, sed etiam magna desideria sanctorum patrum antiquorum & patriarcharum. Iam omne quod ad redemptionem pertinet generis humani, opus obedientie, quam assumpsi, opusq; totius passionis meæ, quod tibi patri offero pro humani generis salute, consummatum est, &c.

Idem ex Augustino: Felix qui potest dicere, cum Iesu consummatum est, qui est A & Ω & sermonum consummatio: non est præmiū in inchoatione, sed in cōsummatione non datur denarius incipientibus, sed finientibus, & corona non currentibus, sed peruenientibus, & legitimè certantibus, &c.

Grabel Biel: Neque mori coactus est, neque inuitus sed ultrò mortuus est sua sponte, prius inclinauit caput et deinde emisit spiritum clamore ualido.

Dion

Dionysius Carthusianus: Quam diu uoluit anima ipsius permansit in corpore, cumq; uidisset cuncta completa in se, quæ de sua passione erant prædicta, tradidit spiritum ex uirtute, quò ostenderet uerum esse, quod prædixerat, Nemo tollit animam meam à me, sed ego pono eam. Item potestatem habeo ponendi animam meam, & iterum assumendi, &c.

Glossa ordinaria ex Hieronymo: Nos cum nulla uoce, uel cum ima morimur, qui de terra sumus, ille uerò cum exaltata uoce expirauit, qui de cælo descenderat, &c.

Euthymius super Ioannem: Non postquam expirauit, caput inclinauit, quod in nobis accidit, sed postquam inclinauit caput, expirauit, ut discamus quod quando uoluit mortuus est, quò omnia consummata essent, tunc spiritum in manus patris tradidit.

Idem super Lucam: Dum Iesus commendat Patri spiritum, efficit ne iustorum animæ descendant ad infernum, sed potius ad Deum, &c.

Thomas ex Augustino: Quis enim dormit quando uoluerit. Iesus mortuus est quando uoluit. Quanta speranda uel timenda potestas est iudicantis, si apparuit tanta morientis.

Augustinus in soliloquio: Christus mortuus est pro nobis, Nihil tam ad mortem, quod morte filij Dei non soluatur, Tota spes mea est in morte Domini mei, Mors eius meritum meum, refugium meum,

98 IN PASSIONE CHRISTI,

Salus mea, uita mea, & resurrectio mea, solatium meum, miseratio mea ô Deus. Non sum meriti inops, quàm diu ille miserationum suarum non fuerit oblitus: Etsi misericordiae Domini multae, multus ego sum in meritis. Et mox: Non possum terreri multitudine peccatorum, si mors Domini in mentem ueniat mihi, quoniam peccata mea illam uincere non possunt: Clauis & lancea clamant mihi, quod uerè reconciliatus sum Christo, si eum amauero. Item extendit brachia sua in cruce, & manus suas expandit, paratus in amplexus peccatorum: Inter brachia saluatoris mei uiuere uolo & mori cupio: Ibi securus dormio, & letus cantabo. Exultabo te Domine, quoniam suscepisti me.

Reinhardus: O quàm pretiosa & uictoriosa mors ista fuit, quae mortem nostram occidit, & uitam reparauit nobis aeternam. Semper ergo in memoria nostra mors tua Christe maneat, nostraeq; mortis in tua benedicta morte sis memor, ne desperemus timidi, cum uenerit uitae nostrae finis incertus.

Idem ex Hugone: Moritur Iesus Christus non in lecto strato de plumis, sed in aspero ligno crucis, non in domo, neque sub tecto, sed in aperto loco, eoq; despecto & foetido: non in secreto thalamo, sed in publico patibulo: non in medio discipulorum suorum, sed in medio duorum latronum: Non inter brachia charae matris, sed inter cornua altae crucis:

non habuit sub se modicum straminis, nec super se
 coopertorium uilissimi lintheaminis: Defuit illi
 cervical capitis, pro quo habuit sertum de acutis spi-
 nis: non habuit calceamenta in pedibus, nec chero-
 thecas in manibus, sed pro his clauos suscepit fer-
 reos, carnem & ossa penetrantes: non habuit in
 tanta necessitate ullum seruitorem, sed pertulit iu-
 xta se peruersum uicinum, latronem impium, gra-
 ues ipsi contumelias inferentem: nullum habuit con-
 solatorem, sed penè omnes reperit desertores, quos
 prius mensæ socios habuit, & sectatores: non ua-
 luit manum Christus mouere, uel pedem, neque in
 alteram se diuertere partem ad reuelandum in mo-
 dico corporis sui dolorem. Ita ipse cruciatus est,
 propter nos solos. Stat ita firmiter fixus, rigidis-
 sime extensus, grauissimè tortus, atque ab omni parte
 arctatus, sine cura & ullius auxilio: Sola lingua
 remansit ei ad loquendum libera, ut pro inimicis
 suis oraret, & septem nouissima & saluberrima
 uerba, contra septem mortalia crimina in ambone
 crucis prædicaret: Sed nec lingua afflictione ca-
 ruit, quia felle & aceto, dum sitiret, infecta fuit:
 Igitur ab imo pedis, usque ad uerticem capitis to-
 tus, in aquis passionum fuit Iesus demersus, & tan-
 dem hora nona clamans uoce magna, moritur. O
 quantus & qualis est iste, qui sic clamans expirat,
 in cuius transitu cœlum luget & terra, ante cuius
 conspectum mors fugit, ad cuius uocem mortuū

H 5 resur-

100 IN PASSIONE CHRISTI,

resurgunt, quem uidentes portæ mortis fractæ sunt,
& cætera.

Epiphanius in Amurato: Verbum ipsum ultro
propter nos ad mortem progressum, quò morte mor-
tem mortificaret.

Augustinus in homilijs: Ut occideret mortem,
uestitus est morte: non enim potuit mors mori, nisi
in uita: non moritur amaritudo, nisi in dulcedine:
non moritur frigus, nisi in calore: non est mortua
mors, nisi in uita.

Bernhardus in meditationibus: Cùm tuam ô ho-
mo, animam uidißet Christus peccatorum funibus
irretitam, iamiamq; dæmonibus tradendam, ut mor-
te perpetua damnaretur, fleuit super eam, qui se flere
nesciebat, nec solum fleuit, sed etiam se occidi permi-
sit, ut pretio sanguinis sui eam redimeret, unde sunt
uersus.

Aspice mortalis pro te datur hostia talis,
Cur homo miraris morior ne tu moriaris,
Testes sunt clauis, per quos ego crimina laui,
Mortem morte domo, ne moriaris homo:

ITEM ALIBI,

Aspice qui transis, quia tu mihi causa doloris.

Augustinus super psal. Suscepit Christus in te, in
quo moreretur pro te, suscepit à te quod offerret
pro te. Non uerbum mortuum est & resurrexit:

Ibi mor

Ibi mortuus est Christus, ubi es tu moriturus, & ibi resurrexit Christus ubi tu es resurrecturus. Exemplo suo docuit, quid non timeres, quid uero sperares: Timebas mortem, mortuus est, desperabas de resurrectione, ecce resurrexit. Et iterum, Mortuus est pro te, quid promisit? ut uiuas cum illo: incredibile est, quod mortuus est æternus, quam ut in æternum uiuat mortalis. Iam quod incredibile est tenemus. Si propter hominem mortuus est Deus, non esset uicturus homo cum Deo? Non esset uicturus mortalis in æternum, propter quem mortuus est qui uiuit in æternum? Sed quomodo mortuus est Deus? Et unde mortuus est Deus? Et potest mori Deus? Accepit ex te unde moreretur pro te: non posset mori nisi caro: non posset mori nisi mortale corpus: Induit se ubi moreretur pro te, induit te ubi cum illo uiuas.

Cyrellus in epistolis: Nobiscum per carnem in mortem descendit qui mortem non nouit, ut & nos cum ipso uitam ascenderemus. Reuixit enim spoliatus inferis non ut carnis nostræ conditionis homo, sed ut Deus nobiscum & supra nos in carne: Lucrifecit autem natura carnis in illo primum incorruptionem & contrita est mors per corpus illud uitæ in pœnam hosti competenti lapsam.

Ambrosius de mysterijs paschalib. Salutaris Christi passio, uitæ humanæ salus est: ad hoc enim pro nobis mori uoluit, ut nos in eum credentes perpetuò uiueremus. Voluit pro tempore fieri quod nos sumus, ut

mus, ut nos aeternitatis eius promissionem adepti, cum eodem perpetuò uiueremus.

Bernhardus de Interiori domo: Desperare utiq; potuissem propter nimia peccata mea & uitia, culpas & infinitas negligentias meas quæ egi & quotidie indefinenter ago corde ore & opere & omnibus modis, quibus humana fragilitas peccare potest: nisi uerbum tuum Deus caro fieret et habitaret in nobis. Sed desperare iam non audeo, quoniam subditus ille tibi usque ad mortem, mortem autem crucis fuit, tulit Charographum peccatorum nostrorum & affigens illud cruci, peccatum crucifixit & mortem, etc. Quæ ex soliloquio Augustini transtulit.

Bonauentura ex Bernhardo: Singularis Christi maiestas mori uoluit, ut uireremus, seruire ut regnaremus, & ad uilissima opera inclinatus est ut nos super omnia opera sua constitueret. Venit enim filius hominis quærere & saluum facere quod perierat: uenit inquam humilis ut te superbum humiliaret.

Idem ex Augustino: Admiremur, gratulemur, amemus, laudemus et adoremus quoniam per redemptoris mortem de morte ad uitam, de tenebris ad lucem, de exilio ad patriam, corruptione ad incorruptionem, de miseria ad gloriam, de luctu ad gaudium uocati sumus.

Ambrosius super Galat. Mors Christi est iustificatio peccatoris.

Dionysius Carthusianus: Inclinemus etiam hodie nos cum

nos cum Domino nostro Iesu Christo capita nostra
 totoq; supplici corde compatibles tam pro morte
 ipsius quam pro parta salute nostra gratias agamus
 eidem redemptori nostro dicentes O amantissime Ie-
 su splendor paternæ gloriæ & sol iusticiæ qui pro
 indigno peccatore seruulo tuo hanc dignatus es
 uilissimam pati doloris formulam, quiq; in Caluariæ
 loco pro humani generis redemptione animam tra-
 dere, patriq; commendare uoluisti, præsta mihi hu-
 ius amarissimæ mortis tuæ dolorem pariter et amo-
 rem iugiter in pectore meo circumferre, atq; ad com-
 moriendum tibi per omnium uitiorum mortificatio-
 nem meipsum iugiter exercere, ut appropinquante
 uitæ meæ fine in luce miserationum tuarum ualeam
 respirare, & tecum in paradysi gaudia pro te felici-
 ter intrare, adesto mihi obsecro morienti, succurre
 agonizanti, defende ab hostibus, eripe de ærumnis,
 consolare gementem, conforta timentem, refoue de-
 ficientem, suscipe expirantem.

Tertulianus aduers. Martionem: Totum Chri-
 stiani nominis et pondus & fructus mors Christi est.

Bonauentura ex Hugone de S. Victore: Nulla di-
 lectio maior, nulla charitas sincerior, nullus amor
 fortior, quam quod mortuus est pro me innocens ni-
 hil inueniens in me quod amaret.

Idem ex Hugone de Arra: Cogita tu homo quan-
 tum te diligat qui non nisi moriendo à morte uoluit
 liberare te.

Augustinus

Augustinus in sermonibus: Humilitas tua facta est exaltatio mea, foeditas tua Domine Iesu Christe, facta est pulchritudo mea.

Augustinus in manuali: Domine Iesu tu es uita mea qua uiuo & subsisto, spes cui adhæreo, gloria quam adipisci desidero. Tu es reuera tota spes mea & fiducia mea, &c.

Aquinas ex Augustino: Vigilanti uerbo Euangelista usus est, ut non diceret latus eius percussit aut uulnerauit sed aperuit ut illis quodammodo uitæ ostium panderetur, unde sacramenta Ecclesiæ manauerunt, sine quibus ad uitam, quæ uerè uita est, non introitur. Hic iste sanguis in remissionem peccatorum fusus est, ab illa aqua salutare temperat poculum: hoc & lauacrum præstat & potum: Hoc prænunciabat quod Noë in latere arcæ ostium facere iussus est, quò intrarent animalia, quæ non erant diluuiio peritura, quibus præfigurabatur Ecclesia, propter hoc prima mulier facta est de uiri latere dormientis & hic secundus Adam inclinato capite dormiuit, ut inde formaretur ei coniunx per id quod de latere dormientis effluxit: O mors unde mortui reuiuiscunt, quid isto sanguine mundius? quid isto salubrius?

Augustinus alibi: Hic effluxus miraculose contingit & magnum mysterium præfigurauit. Sanguine enim redimimur, aqua abluimur: tam redemptionem igitur quam ablutionem nobis attulit mors Christi.

Idem

Idem in manuali: Saluator noster inclinavit caput suum ut oscula daret dilectis suis, Toties osculamur quoties in eius amore compungimur. Longinus (sic dicitur ille miles qui aperuit latus Christo in Evangelio Nicodemi) aperuit mihi lancea latus Christi & ego intraui & requiesco ibi securus, &c.

Idem in Meditationibus: Ecce pontifex summus qui non alieno eget expiari sanguine, qui proprio resulget prorsus cruore.

Idem ibidē: Omnis spes & totius fiducia certitudo mihi est in pretioso sanguine Christi, qui effusus est propter nos & propter nostram salutem: In ipso respiro, & in ipso confisus ad te pater peruenire desidero non habens meam iustitiam sed eam que est ex filio tuo Domino nostro Iesu Christo, &c.

Ibidem: Quoties tibi pater beatæ prolis uulnera patent, delitescant obsecro scelera mea, Quoties rubet pretiosus pio de latere sanguis, diluatur obsecro labes meæ pollutionis. Caro te laceßiuit ad iram, caro te nunc flectat, imploro, ad misericordiam (intellige in Christo) & sicut caro me seduxit ad culpam, caro te deducat ad ueniam: Multum namque est, quod mea meretur impietas, longè autem maius, quod redemptoris mei iure reposcit pietas: Magna quidem mea est iniustitia, satis uerò maior redemptoris iusticia. Quantò namque superior Deus homine, tantò mea malicia inferior eius bonitate in qualitate, & in quantitate. Quid enim deli

deliquit homo, quod non redemerit filius Dei factus homo? Quæ tanta superbia tumeret, quam non tanta humilitas sterneret? Quod nam tantum mortis imperium, quod nati Dei non destrueret crucis supplicium.

Idem in manuali: Tuta & firma requies est infirmis peccatoribus, in uulneribus Saluatoris, illic securus habito: patent mihi uiscera per uulnera. Quod mihi ex me deest, usurpo mihi ex uisceribus Domini mei, quoniam misericordiae affluunt, nec desunt foramina, per quæ effluant, per foramina patet mihi arcanum cordis, patet magnum pietatis sacramentum, patent & uiscera misericordiae Dei nostri, in quibus uisitauit nos oriens ex alto: Uulnera Christi plena sunt misericordia, plena pietate, plena dulcedine & charitate: per has rimas licet mihi gustare, quam suavis sit Dominus meus, quam uerè suavis & mitis, & multæ misericordiae inuocantibus eum in ueritate, omnibus inquirentibus, & maxime diligentibus. Copiosa redemptio data est nobis in uulneribus Saluatoris nostri: magna multitudo dulcedinis, plenitudo gratiæ, & perfectio uirtutis: Cum me pulsat aliqua turpis cogitatio, recurro ad uulnera Christi, cum me premit caro mea, recordatione uulnerum Domini mei resurgo: Cum diabolus insidias parat mihi, refugio ad uiscera misericordiae Domini mei, & recedit à me: Si ardor libidinis moueat membra mea, recordatione

uulnerum

uulnerum filij Dei extinguatur. In omnibus aduersitatibus non inuenio tam efficax remedium, quam uulnera Christi, in illis dormio securus, & requiesco intrepidus.

Cyrillus ad Reginas: Nisi Deus esset uerus Christus, quæ esset utilitas per sanguinem eius? Vel quomodo nostram mundabit conscientiam à mortuis operibus? Sanguis enim communis hominis, quid magis habet, quam sanguis hircorum? Nihil certè quàm quod ille est rationalis animalis, hic uerò bruti. Quoniam is, qui ex Deo est, carne assumpta, posuit pro omnibus suum sanguinem, hac ratione & purgare potest, & credentes in ipsum, & à mortuis operibus liberare & adducere in obsequium Deo.

Hieronymus in Epistola: Pellicani cum suos à serpente filios occisos inueniunt, lugent & se & sua latera percutiunt, & sanguine effuso ad corpora mortuorum, sic reuiuiscunt. Idem fecit Christus, exaltatus sicut Moyses, serpentem exaltauit, &c.

Augustinus in sermonibus: Gratias agamus pietati eius, qui infirmitati nostræ de homine suo uitale composuit medicamentum: magnificemus eum, quia nullum diuinæ uirtutis suæ, dum nobis subuenit, fecerat detrimentum, uerè pius, uerè Saluator, qui in tantum dilexit opus suum, qui in tantum reputauit seruum, ut culpam eius suo uerbere expiaret, uulnera eius suo linore sanaret.

Idem alibi: Turbabor & non perturbabor,
quia uulnerum Domini recordabor, &c.

Bernhardus in Meditation. Sublimius est animæ
meæ pretium, quæ non nisi sanguine Christi redimi
potuit. Quam ergo commutationem dabis pro ani-
ma tua, qui pro nihilo das illam? Non ne filius Dei
cum esset in sinu patris, à regalibus sedibus pro ea
descendit, ut eam liberaret à potestate diaboli? &c.

Idem in sermonibus: Nihil est efficacius ad
curanda conscientie uulnera, & ad purgandam
mentis aciem, quàm uulnerum Christi frequens
recordatio.

Bonauentura in breuiloquio: Ecce decurrit san-
guis pretiosissimus, per illa sacra latera beatissimi
iuuenis Christi, nullo prorsus reperto in ipso rea-
tu: Et tu perditte homo totius huius confusionis &
contritionis causa existens, quomodo non erumpis
in fletum? Da Domine Iesu, qui propter me tibi
non pepercisti, cor tuum uulneribus lacerari, ita
saucia mentem meam, ita tuo sanguine inebria, ut
quocunque me uertam, semper te uideam crucifi-
xum, & quicquid inspexero, mihi appareat tuo
sanguine rubricatum, ut sic totus in te tendens, ni-
hil ualeam præter te inuenire, nihil nisi tua uulnera
intueri. Hæc mihi sit consolatio, tecum cruci-
figi, & mihi queso sit intima afflictio aliquid
præter te meditari.

Idem Bonauentura ex Bernhardo: Reuertere
anima

anima, Christus in cruce expectans te, habet caput inclinatum ad te peccatricem & immundam deosculandam, habet brachia extensa ad amplexandum, manus apertas ad remittendum, corpus extensum ad se totum impendendum: pedes affixos ad commanandum, latus apertum ad te in illud intromittendum. Estò ergo ò Anima mea iā columba in foraminibus petrae, in cauernis maceriae, peruola manus, peruola pedes, inuola lateri, ibi tuta requies, ibi segura quies.

Euthymius super Ioannem: Ratio docet quod maior sit quàm homo Christus, quia si mortuus homo uel millies uulneretur, tamen non emittit sanguinem: foditur autem lancea Saluator in latere, quia Adami latus peccato uulneratum est, siue ut Euam lateris sui uulnere à plaga lateris sanaret sanguinem & aquam scaturire inde facit, ut horum fluxu peccati fluxum demergeret: Item inde duo scaturiunt fontes, aqua purificans Ecclesiam, sanguine uerò enutriens eam: ideo hinc promanant diuina mysteria, &c.

SEQVNTVR PATRVM MEDITATIONES de miraculis circa Christi mortem apparentibus, & de eius sepultura.

Aquinas ex Theophyl. Nunc uidetur effectum sortiri, quod dixerat, Cum exaltatus fuero, omnia traham ad me. Exaltatus namq; in cruce primò at-

textit latronem, postea mortuus Centurionem & quosdam Iudaeorum, de quibus sequitur, quod uidentes illa conuersi sint in se & percusserint pectora sua.

Idem ex Ambrosio: O duriora saxis Iudaeorum pectora, Iudex arguit, credit minister, proditor scelus suum morte condemnat & elementa fugiunt, terra concutitur, monumenta reserantur, & tamen manet immobilis uia Iudaeorum orbe toto concusso.

Idem ex Beda: Per Centurionem fides Ecclesiae designatur, quae Dei filium tacente Synagoga confirmat.

Idem ex Hieronymo: Nouissimi nunc primi fiunt, gentilis confitetur populus (scilicet in Centurione) Iudaea caecata negat ne fiat eis error peior priore.

Idem ex Theophy. Ecce ordo inuertitur, dum Iudaei occidunt, discipuli fugiunt, mulieres expectant, gentilis confitetur.

Idem ex Origene: Ab initio mundi usque ad finem concisso uelamine mysteria publicantur, quae usque ad aduentum Domini rationabiliter fuerunt occultata. Cum autem uenerit quod perfectum est, tunc auferetur secundum uelum, ut uideamus etiam, quae interius sunt occultata scilicet ueram arcam testamenti & sicut ipsa se habet natura uideamus Cherubin & alia.

Idem ex Hieron. Velum templi scinditur, id est, ipsum coelum aperitur.

Idem ex Theophy. Caro uelum est nostri templi
scilicet

scilicet mentis nostræ: uirtus autem carnis scissa est in Christi passionibus, à summo usque ad deorsum, scilicet ab Adam usque ad ultimos homines. Nam & Adam effectus est sanus per passionem Christi, & eius caro non manet in maledicto, neque digna est corruptione, sed omnes nos in corruptione honorati sumus.

Idem ex Ambrosio: Velum scinditur, quo duorum Apostolorum diuisio & synagoga prophana- tio declaratur: Scinditur uelum uetus, ut Ecclesia noua fidei suæ uela suspendat: Synagoga uelamen suspenditur, ut religionis interna mysteria reuelata, mentis cernamus obtuitu.

Euthymius super Matthæum: Sol tenebris indutus est, templum scidit uelum suum, significando quòd propter absurdum ac irrationabile spectaculum lugeret. Lugentium est uestem scindere, nigraque indui stola. Per terram autem motam petrasque scissas ostendit, quòd potens esset, illos in aggerem cumulare, & obruere, sed non uellet propter suam mansuetudinem, propter illos, qui ex eis erant credituri, lucemque daturi. Scissum autem uelum significauit, diuisum iam esse medium parietem inter cœlum & terram (puta inimicitiam) qui inter Deum & homines erat, & iam factum cœlum hominibus peruium, soluto nunc per Christum obstaculo medio, taliq; nobis ascensu innouato. Vniuersaliter autem, quæ facta sunt diuinæ iræ signa sunt,

sunt, Iudaeorum insensibilitatem reprehendentia,
horumq; perditionem praedicantia.

Hilarius de Trinitate: Clarificat Pater filium,
quomodo? quod cruci affigitur? sed quid sequitur.
Sol non occidit, sed refugit: sed quid refugisse dico?
non receptus est in nube, sed de cursu operis dese-
cit, & interitum suum cum eo reliqua mundi ele-
menta senserunt, & ne huic facinori illae coelestes
operationes interessent, intercessionis huius neces-
sitate quadam sui abolitione caruerunt. Sed terra
quid fecit? ad onus Domini in ligno pendentis intre-
muit, eum qui moriturus erat, intra se contestata
non capere. Nunquid & portionem suam rupes,
& saxa concedunt? sed rupta dissiliunt, & natu-
ram suam perdunt, caesamq; ex se arcam inconti-
nentem, condendi corporis confitentur. Quid ad haec
proclamat Centurio, cohortis & crucis custos? Ve-
re Dei filius erat iste. O creatura, intercessione hu-
ius piaculi liberatur, firmitatem & uirtutem saxa
non retinent. Qui cruci affixerant, uere Dei fi-
lium confitentur. Item mox: Dei filius crucifigi-
tur, sed in cruce hominis mortem Deus uincit, Chri-
stus Dei filius moritur, sed omnis caro in illo ui-
uificatur.

Cyrillus ad Reginas: Si communis esset homo,
quomodo mortuo eo tantus in elementis factus esset
tumultus? Nam sol radios contraxit, & in die te-
nebras fecit: Terra autem suum Dominum uidens à
Iudaeis

Iudæis debachantibus impetitum, diuisa est: Emisit
 & infernus animas sanctorum. Et quis hæc facie-
 bat? non ne Deus? Deus enim erat in carne, quo
 contumelia affecto, creatura quodammodo iras-
 cebatur.

Hieronymus super Matthæum: Omnis creatu-
 ra compatitur Christo morienti, Sol obscuratur,
 terra mouetur, petre scinduntur, uelum templi di-
 uiditur, sepulchra aperiuntur. Solus miser homo
 non compatitur, pro quo solo Christus patitur.

Ambrosius in libro de Fide: In cruce pende-
 bat, & elementa omnia ei seruibant, Sol refugit,
 dies occidit, obfusæ & circumfusæ tenebræ, terra
 tremuit, sed non tremuit qui pependit. Quid aliud
 hæc quàm autoris reuerentiam signant? Quia in
 cruce est, uides, quia regnum Dei donat, non uides?
 quia mortem gustauit, legis? quia latronem quoque
 ad paradysum inuitauit: non legis? Mulieres flen-
 tes intueris ad tumulum, non intueris Angelos
 excubantes? quid dixerit, legis? quid gesserit, non
 legis?

Anselmus in stimulo amoris: A sexta hora te-
 nebræ factæ sunt, in uniuersa terra usque ad horam
 nonam, & obscuratus est Sol & uelum templi scis-
 sum est, à summo usque deorsum, & terra mota est,
 & petre scisse sunt, & monumenta aperta sunt.
 Qualis est hic, cui cœlum & terra compatiuntur,
 cuius & mors mortuos uiuificat, ut exeant sancto-



114 IN PASSIONE CHRISTI,

rum corpora de sepulchris? Cognosce anima mea, hic est Iesus Christus tuus Saluator, unigenitus Dei filius, uerus Deus, uerus homo, qui solus sub sole sine macula inuentus est: Et ecce quomodo cum sceleratis reputatus est: & tanquam abortiuum, quod proijcitur à uulua, sic proiectus est ab utero matris suæ infelicis synagogæ: Iste formosus præ filiis hominum tanquam deformis præ filiis hominum factus est. Siquidem uulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, & factus est holocaustum suauissimi odoris in conspectu tuo pater æternæ gloriæ, ut auerteret indignationem tuam à nobis, & consedere nos sibi faceret in cœlestibus.

Euthymius super Matthæum: Apertio monumentorum facta est ad declarationem potentie eius, & ad terrorem Iudæorum, ut perpenderent, quod is, qui adeo facile mortuos uiuificaret, facilius posset uiuos morti donare: præterea etiam illud erat ad futuræ resurrectionis confirmationem.

Idem: Ioseph de Arimathæa apud Marcum dicitur, sumpta audacia petiisse corpus Iesu, quia priorem timorem sequenti audacia mirabiliter abluit, & seipsum quasi in mortem tradidit ob beneuolentiam, quam gerebat erga præceptorem suscipiens in se inimicitiam cunctorum Iudæorum, &c. Et mox: Neque solum tulit Christi corpus, sed etiam pretiosè & honorificè sepeliuit: in mixtura autem Myrrhæ & Aloes illud sepelierunt, ut sine corruptione & in bono

in bono odore permaneret: adhuc enim, ut nudum hominem ipsum honorabant, &c. Idem: Et nos autem accipientes corpus Domini in altari, odoramentis quoque ungamus suauibus, uidelicet uirtutum operibus, id est, & opere, & contemplatione. In propinquo posuerunt eum, ut & discipula cum discipulis possent propter propinquitatem proficisci, ut uiderent quae postmodum facta sunt: Petierunt autem custodiam sepulchri iudaei, dicentes Pilato: ne forte ueniant sui discipuli & eum suffurentur, & dicant eum resurrexisse, & tunc posterior error fiat priori peior. Sed o insensati, quod tandem sine essent ipsum furto sublaturi. Nisi enim tertio die resurrexit, sicut promisit, manifestum est, quod ipsi discipuli decepti, & propter eum ab omnibus gentibus odio habiti, sine domibus, & extores, facti potius auersabuntur eum, & odio habebunt tanquam impostorem, & ita nolent eum furari: sed neque populo persuadere poterunt, quod a mortuis surrexit. Cui enim innitentur? an uehementiae sermonum? atque illiterati sunt: an abundantiae rerum? atqui sunt omnium pauperrimi: Generis fortassis claritati? uerum ignobiles sunt, & ab ignobilibus progeniti: utrum sui ipsorum multitudini? An non multo plures sunt, quam duodecim: utrum patriae splendori? uerum a regionibus sunt obscuris & ignobilibus: An putatis, quod praecceptoris promissionibus? Quibus? Si enim non resurrexit,

I 5 Surrexerit,

surrexerit, neque illis credituri sunt. Demonstratum est igitur, quod uos Iudaei uanè suspicamini hunc furto auferendum esse: ob dictas enim causas est incredibile.

Thomas ex Theophyl. Quod nouum fuerit sepulchrū, mysticè datur intelligi, quod per Christi sepulturā omnes innouamur, morte et corruptione destructa: Attende etiam abundantiam pro nobis susceptae paupertatis: nam qui domum in uita non habuit, post mortem quoque in alieno sepulchro reconditur, & nudus existens, à Ioseph operitur.

Idem ex Hiero: Sepultura Christi resurgimus, de scensione eius ad inferos, nos ascendimus ad coelos. Hoc inuenitur, mel in ore mortui Leonis, &c.

Idem ex eodē: Diues refertur Ioseph, nō ex iactantia autoris, quō uirū nobilem et ditissimū referat, Iesu Christi fuisse discipulum, sed ut ostendat causam, quare à Pilato corpus Christi potuerit impetrare.

Idem ex Chysostomo: Inspice huius uiri fortitudinem: in mortis enim periculum se tradidit, inimicitias omnium assumens propter beneuolentiam Christi demortui, & non solum audet corpus petere, sed etiam honestè sepelire.

Idem ex Hieronymo: Ex simplici Domini sepultura ambitio diuitū damnatur, qui nec in tumulis possunt carere diuitijs. Possumus aut iuxta intelligentiam spiritualem, et hoc sentire, quod corpus nō auro, non gemmis, non serico, sed linreamine pura obuoluen-
dum

dum sit, quia is hodie syndone munda inuoluit Iesum,
qui pura mente eum suscepit.

Idem ex Remigio: Sindon, lineus pannus est, li-
num autem procreatur ex terra, & cum magno la-
bore ad candorem producitur, ideò hic designatur,
quia corpus illius, quod ex terra, id est, ex Maria
uirgine est desumptum, per laborem passionis perue-
nit ad candorem immortalitatis.

Idem ex Augustino: Ideò autem Saluator in
alieno sepulchro ponitur, quia pro aliorum morie-
batur salute, ut quid ergo in propria sepultura, qui
in se mortem propriam non habebat, poneretur? Ut
quid illi tumulus in terris, cuius sedes manebat in
coelis, ut quid illi sepultura propria, qui tridui tan-
tum temporis spacio, in sepulchro non tam mor-
tuus iacuit, quàm ueluti in lectulo quieuit. Sepulchrū
autē est mortis habitaculum, Necessarium ergo non
erat mortis habitaculum Christo, quia uita est, nec o-
pus habebat, semper uiuens habitaculo defunctorum.

Idem ex Hilario: Mystice Ioseph Apostolorum
habet speciem, hic in munda syndone corpus inuol-
uit, & quidem in hoc eodem linteo reperimus de
caelo, ad Petrum uniuersorum animantium genera
missa esse. Ex quo intelligitur, sub lintei illius no-
mine consepeliri Christo Ecclesiam. Domini ergo
corpus infertur, in uacuam & nouam requiem la-
pidis excisi, quia per Apostolorum doctrinam im-
petus duritiæ gentilis, quodam doctrinæ opere ex-
cisus

118 IN PASSIONE CHRISTI,


eius, ei Christus infertur: rudè scilicet ac nouum,
& nullo antea ingressu, timore Dei peruium, &
quia nil præter eum oporteat, in pectore nostra pe-
netrare, lapis hostio obuoluitur, ut quæ nullus
antea in nos diuinæ cognitionis autor fuerat illatus,
nullus absq; eo postea inferatur, &c.

Idem ex Origene: Non autem fortuito scriptum
est, quoniam inuoluit corpus in syndone munda, &
posuit in monumento nouo & quod aduoluit lapi-
dem magnum, quia omnia, quæ sunt circa corpus le-
su, munda sunt & noua, & magna ualdè, &c.

FINIS MEDITATIONVM DE
de passione D. N. I. C. colle-
ctarum ex sanctis pa-
tribus, &c.

Augustinus in sermonib. de tempore: Indubitan-
ter credamus, q; totū mundum redemit, qui plus de-
dit, quàm totus mundus ualeret. Meritū enim redem-
ptæ mercedis dignitas, insignis precij supergressa est.
Inter redemptum et redimentē dispensatio fuit, cōpen-
satio non fuit. Qui ergo nō habebat peccata propria,
dignè deleuit aliena, Solus hic pia uictima pro omni-
bus cecidit, ut omnes leuaret, & quia debitum
solus non habuit, rectè foenus miseri-
cordiæ pro debitoribus
rogauit.

FINIS.




M A R P V R G I

Impressum apud hæ

REDES ANDREAE KOLBI,

Anno Domini

1569.



M A R T I N U S


IMPETRATA

REBUS ANDREAE

Anno Domini

1521





153538


AB: 153.531


ULB Halle

3

004 829 395







SANCTO-
RVM CATHOLI-
CAE ECCLESIAE PATRVM
TAM VETERVM QVAM
RECENTIVM.

DEVOTISSIMAE
MEDITATIONES ET SVAVIS-
simæ sententiæ, quibus ordine saluta-
ris Dominicæ Passionis Mysterium
& Sacramentum, vsus ipse & fru-
ctus amplissimè expli-
catur:

ATQVE HISTORIA DE PASSO
Iesu Christo Euangelica diligenter ab initio usq; ad
finem ex Doctorum scriptis expenditur, ac
singulari obseruatione con-
sideratur.

Summa diligenter coniungitur

M A R P V R G I
A P V D H A E R E D E S
A N D R E A E C O L B I I , A N N O

M. D. LXIX.

*Nobdybus & clarissimus
viro D. Honoris de Libe Confessor
viro in hunc Illustrissimus D.*

